


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [1] - -

PUBLIC DOMAIN


Leibn. Marg. 51

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover
Am Archiv 1

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

VLRICI OBRECHTI

DISSERTATIONVM SELECTIORVM

Quondam

In Academia Argentinensi propositarum

LIBER

Accessit

EJVSDEM PARÆNESIS

De conjungendis Privati & Publici Juris Studiis.



ARGENTORATI

Typis JOH. FRIDERICI SPOOR.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [5] - -

PUBLIC DOMAIN

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

SERIES
Dissertationum & Materiarum.

I. De Abdicatione Caroli V. Imperatoris.
Resp. Joh. Christophoro Artopæo. Argentorat.
Literis A. B. C.

II. De Electione Imperatoris Romano-Germanici.
Resp. Joh. Georg. Grambs, Mœno-Francof.
D. E. F. G.

III. De Unitate Reipublicæ in S. R. Imperio.
Resp. Joh. Georg. Kulpis, Alsfeld. Hasso.
H. I. K. L.

IV. De Imperii Germanici, ejusq; Statuum Fœderibus.
Resp. Johan-Ulrico Fridio, Colmariensi.
M. N. O. P.

V. De Clenodiis S. Rom. Imperii.
Resp. Joh. Dieterico Storck, Argentinens.
Q. R. S.

VI. De Legione fulminatrice M. Antonini Phil. Imper.
Resp. Joh. Nicolao Hardschmidt, Argentinens.
T. V. X.

VII. De

VII. De Tribunicia Cæsarum Romanorum Potestate.
Resp. Joh. Jacobo Henrici, Argentoratensi.
Y.Z.

VIII. De Expeditione Romana.
Resp. Philippo Theodorico Bernhold, Argent.
Aa. Bb. Co.

IX. De Philosophia Celtica. [fehlt]
Resp. Joh. Caspar Kuhn, Nassovio-Sarapont.

— De Ab-

DISPUTATIO ACADEMICA,

DE

ABDICATIONE CAROLI V. IMPERATORIS.

Quam

DEO bene juvante,

Præside,

VIRO Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Conſultiſſimo, Excellentiſſimoq;

DN. VLRICO OBRECHTO,

in Alma Univerſitate Argentoratenſi Hiſtoriarum Profeſſore celeberrimo,

Domino Patrono, Præceptore & Agnato ſuo, ſubmiſſè colendo,

In *Solenni* Eruditorum congreſſu defendere conabitur,

JOHANNES CHRISTOPHORUS ARTOPOEUS,

die 3. menſ. Martii horis locoq; conſuet.

ARGENTORATI,


Typis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR,

ANNO M DC LXXVI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [9] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [10] - -
PUBLIC DOMAIN

C. B. D.

Disputatio Academica

De

ABDICATIONE CAROLI V. IMPERATORIS.

Proœmium.

RAriſſima ſunt exempla eorum, qui in magna potentiâ conſtituti, ſponte eidem ſeſe ſubducunt, cum natura mortalium ſemper avida ſit imperii, vel, ut cum Tacito loquar, Hiſt. 2. 38 2. *vetus ac pridem mortalibus inſita ſit potentiæ cupido.* & certe ſi verum fateri volumus, idem nobis palam profitendum eſt, cum Selymo I. hujus nominis Turcorum tyranno, *nihil dulcius eſſe, quam imperare.* Propterea majore etiam admiratione dignum videtur, quod in Hiſtoria eorum exempla reperiantur, qui potentiæ pertæſi, privatam vivendi rationem ultro ſunt amplexi; nullis enim difficultatibus plerumque alias ab imperio abſterreri ſe patitur humanum ingenium, cum, ut idem Tacitus Ann. 15, 53. 5. ſcribit, *ejus cupido cunctis affectibus ſit flagrantior.* Seculum tamen noſtrum, alias in omnibus ferè ſingulare, magnisque rerum mutationibus obnoxium, duo ejusmodi vidit prodigia, quippe anno ejus LII. Chriſtina Guſtavi Magni Suecorum Regis filia, paternorum Regnorum ex aſſe hæres, ſponte ſuâ ejurata illa reliquit. Anno vero LXVIII. Caſimirus Poloniæ Rex, cum Regni ejus habenas aliquandiu moderatus eſſet, ſe-

ceſſum Gallicanum Imperio præferens, privatamque vivendi rationem amplexus, ultro coronam alii ceſſit: Cæterum & in antiquiori Hiſtoriâ quædam, veruntamen, ut jam dictum, rariora exempla occurrunt, interquæ illuſtre eſt in ſacris literis Davidis Iſraelitarum Regis, cum Regnum Salomoni filio ſenex traderet, cauſis graviſſimis & urgentiſſimis inductus. Oziam Judæ Regem, num huc referre debeam, causâ lepræ adminiſtratione regni decedere coactum, quæ filio Jothamo commiſſa eſt, jure dubitaverim, ſcriptura illos annos non filio, ſed Patri tribuente, ut vicaria filii gubernatio intelligi poſſit. 2. *Reg.* 15. & 2, *Chron.* 26. In Hiſtoria civili obvius eſt Bamba Rex Hiſpaniæ, qui, ut ex *Luca Tudenſi* refert *Bzovius* ad annum DCL. dimiſſo diademate monaſterium intravit, & ejusdem ſeculi anno LXXXIX. Ceadvalla Rex occidentalium Saxonum in Angliâ, qui relicto regno Romam migravit, ibique religioſam vitam agere cœpit, ambo videlicet ſuperſtitione ducti.

Hæc vero ad noſtrum inſtitutum non magnopere faciunt, quibus id ſolum negocii futurum eſt, ut *de Abdicatione Imperij Romano-Germanici à Carolo V. Imperatore factâ*, diſſeramus, ab hypotheſi ad theſin quædam traducentes: de quo argumento diſputationem Academicam, non elaboratum opus pollicemur.

CAPUT I.

QUæri poteſt, *Utrum Imperator abdicare ſe poſſit Imperio?* nec omnino ſpernendæ rationes in utramque partem afferuntur; ſunt, qui ſimpliciter id concedunt, Imperatorem quando & quoties velit, Imperio renunciare poſſe, & potiſſimum nituntur exemplis, quod Auguſtus, teſte *Suetonio in ejus vita. c.* 28, decedere Principatu voluerit, & Tiberius, utrum Imperium retineret, dubitaverit, *ex Tacito Ann.* 1, 2. *& Suetonio in hujus vita. c.* 24. quanquam hi depoſito principatu ſimul etiam rempubl. i. e. ſenatui Populoque Romano antiqua jura, aut ſimulaverunt ſeſe reddituros, aut, ſi abeſſet ſimulatio, dulcedine imperii, metuve periculi ſorti privatæ imminentis, vinci ſe paſſi ſunt. *vid. Dion.*

Dion. lib. 52. Insequentis igitur temporis exempla, quod initio seculi quarti Diocletianus & Maximianus Herculius ambo pari potestate Imperatores & Augusti simul sese abdicaverunt imperio, ut potiora allegantur *ex Zosimo* l. 2. & *Eutropio l.* 9. Quod Anastasius II. & Theodosius III. deposito sceptro, religiose vixerint, quanquam ille invitus imperium deserere coactus est, ex *Zonara l.* 3. *p.* 81. & 83. nec non *Histor. Miscell. l.* 20. *p.* 24. Quod denique Lotharius nominis hujus primus, Caroli Magni nepos, sponte in Filium Imperii fasces transtulerit, seque monasterio incluserit. *Ex Annal. Fuldens. T.* 1. *Freher. p.* 23. *Aimoino, aliisq; Francicæ Historiæ scriptoribus.* Tandem Henrici quoque IV. faciunt mentionem, quod is administratione cesserit, licet invitus, Pontificum quippe impotentiâ adactus, quam resumere tamen conatus est, ex *Urspergensi.*

Inde colligunt, *quod his Imperatoribus liberum fuerit, idem aliis licere*: horum autem ista quidem ratio, ne ad hodierna tempora possit applicari, efficit insignis mutatio, qua pridem ipsa Reipublicæ forma est conversa. Augusti & Tiberii tempore fuit status Romani Imperij purè Monarchicus; nec sub Maximiano & Diocletiano Senatus vel populus de summa potestate quicquam participabant, ideoque etiam pro libitu Imperium retinere, aut reddere rempubl. aut alij cui vellent, tradere Principatum potuerunt, tanquam absolutâ potestate pleno jure gaudentes. Eodem modo se res habet cum Lothario, qui Imperium Franco-Romanum illimitatâ adhuc potestate gubernavit. Quod verò Henricum IV. attinet, cujus ætate subinde Principum crescente potentia, Cæsaris jam aliquantulum labefactari cœpit auctoritas, Imperii tamen forma nondum, ut nunc est, mixta tum erat. Objiciunt quidem aliqui, Henricum II. cognomento Sanctum, jam antea cum esset Argentinæ, Imperatorium paludamentum monastico culullo mutare voluisse, à Statibus tamen impeditum esse. Verum quam invalidum sit argumentum, quod ex hoc exemplo petitur I. hinc potest intelligi, quod etiam illi, qui pro certo habent, Henricum volentem sese imperio abdicare, à Statibus impeditum fuisse; id tamen asseverare non audent; Status jure suo prorsus illum adi-

gere potuisse ad retinendum Imperium, si in suâ sententiâ perstitisset, nec admonitionibus Statuum ultro locum fecisset. Est autem II. totum istud exemplum admodum incertum nullius-que idonei Historici authoritate fideque comprobatum. Potissimus testis, quo vulgo nituntur, est *Huldericus Mutius Chron. Germ. lib.* 14 *p.* 109. Sed enim *Mutius* præterquam quod totis quingentis & amplius annis recentior est, id quod illi, à quibus testis citatur, volunt, non dicit. Verba ejus sunt, *Cum forte Argentinæ esset aliquando Henricus, ceremoniæq; & preces sacerdotum illi arriderent, consors eorum regulæ, ut sic loquamur, factus est, sed instituta pro sacerdote viro probæ vitæ præbenda, qui Regis in Sacris esset vicarius, Ipse discessit, avocatus publicis Imperii negotiis. Ea præbenda Argentinæ ad nostram usq; ætatem vocata est regalis.* Unde miro argumentandi artificio utatur oportet, si quis eum abdicare voluisse Imperium & à Statibus impeditum fuisse concludat. Loquitur enim de consortio non monastico, *Mutius*, sed Canonicorum Majoris Ecclesiæ: quorum regulæ nihil impediebat, Imperatorem retento Imperio adscribi; ut interim sacra munia per constitutum vicarium obiret. Neque porro ab hoc proposito, sed Argentinâ discessisse Henricum dicit *Mutius*: non Statibus adigentibus; sed imperii negotiis avocantibus: quippe afflicto, coërcitoque, quantum satis videbatur, Hermanno Alsatiæ Duce, contra Theodoricum affinem suum, res in Lotharingiâ novantem festinabat; quem eodem adhuc anno, quo hæc acta feruntur, Metis obsedit: quod *Dietmarus Merseburgensis in Chronico, Hepidannus in Annalibus, Hermannus Contractus & Sigebertus Gemblacensis in Chronicis* referunt. Qui cum res Henrici in Alsatiâ gestas attingant; rem utique tantam omissuri non erant; si vere deponere, studio præsertim sanctioris vitæ, Imperium contendisset Henricus. Cæterum injuria sincerioris Historiæ fuerit, si quis ex Chronicis, nullo authoris temporisve, quo scripta sunt, indicio, vulgatis, qualibus *Author Chronici Belgici Magni* simile Henrici propositum, alii apud Limn. Addit. ad I. P. Tom. V. ad II. 2. p. 59. hoc Ipsum adstruere conantur, rerum tanti momenti fidem deducere instituat. De quibus omnino, quantum ad res hujus Imperatoris attinet

attinet, verum est ipsius *Mutij* judicium: *non mirandum si Ecclesiastici, à quibus merito magnæ laudes debitæ sint Henrico, gratitudine animi ducti, quædam veris affinxerint.*

Nunc vero longe diversa est ratio in statu non pure Monarchico, sed Aristocratiâ mixto, & quidem in Imperio electivo, ubi pacta de ipsa Imperij Administratione interveniunt: quale Romano-Germanicum hodie est; Hic Imperatoris potestas lege restringitur in ipsâ Electione. Et certè satis ardua est ratio, ob quam Imperatori liber discessus ab Imperio concedi non potest; Electores enim, cum illi, quem elegerunt, Imperij habenas committunt, non solum Justitiæ Administratorem, sed & Pacis publicæ adversus quosvis ejus turbatores, certum eum defensorem & propugnatorem constituunt. Si igitur accideret, Imperatorem periculosis temporibus, vel ex pusilla animitate, vel desperatione virium, vel aliâ quavis causa, privatorum videlicet comodorum respectu, Imperium abdicare; non solum commissum sibi Imperium non eâ, quâ decet, fide defenderet, sed & omnium Statuum vitam & fortunas hostium injuriæ exponeret, atque ita male consultum esset Principibus, si hac in re Imperatori liberum agendi arbitrium permitteretur. Stipulatio igitur intercedit, inter Electum Imperatorem & Status, quorum omnium nomine Septemviri Principes Capitulationis legem Electo præscribunt, hanc ipsam defensionis obligationem juratam præ cæteris in se continentem. Ut optimo jure Imperium deferenti objici possit, quod Henrico Valesio Poloniæ quondam Regi objectum est, quando expositos vicinis hostibus Polonos, deseruit, Galliæ avito regno Polonicum permutans.

Pergunt vero, qui liberam Abdicandi Imperij facultatem Imperatori asserunt, & *quod non est prohibitum, permissum esse censeri*, dicunt. Sicut etiam sentit *Sigismundus Seldus Clar. JCtus in Consilio Ferdinando I. dato*, ubi dicit, *nunquam esse dubitatum de hujus Quæstionis affirmativâ, cum Abdicatio nunquam fuerit prohibita. Goldast. Part. V. pag.* 185. In den politischen Reichshändlen.

Sed vero distingui primum potest, inter leges generales

Gentium, & ſpeciales unius gentis, quanquam igitur illæ Abdicationem non prohibeant, hæ tamen illam prohibere poſſunt. Quod vero attinet ad Rempublicam Romano-Germanicam, fatendum quidem eſt, nullam extare legem expreſſam, reſtringi tamen illam alioqui liberam facultatem Capitulatione, ut jam eſt dictum. in quem eundem ſenſum ita diſputat *Conringius in Annot. ad J. Lampadij part. III. c. 2. §. 7. lib. de republ. Romano-Germanica. Cum Leges*, inquit, *poſitivæ de reſignatione Cæſareæ aut regiæ dignitatis latæ nullæ ſint, ſuffecerit, ſtare hic illo jure quod eſt merè naturale: Igitur* primo *ponendum quod renunciatio omnis tunc demum ſit juſta, quando ſit rei propriæ ſpontanea refutatio.* Secundo *quoniam id quod eſt proprium vel omni eſt ex parte tale, vel ex aliqua: illius quidem refutatio ſita eſt in mero refutantis arbitrio, hujus autem non item, ſed neceſſum eſt ut accedat conſenſio ejus, cui ex parte illud, quod renunciatur, competit.* Jam vero munia *Imperandi, alia meri arbitrij, alia vero quaſi ſuſpenſa ſunt, ſive ex mutuo contractu imperantium & parentium ſive ex ſuperioris committentis voluntate. Quæ prioris ſunt generis, illa abdicari liberrimè poſſunt, quæ poſteriores non item: utpote cum non ſint omnino propria atq; adeo non ſimpliciter in poteſtate abdicantium.* Si *jus adminiſtrandi Imperium Romanum fuerit primi ordinis, planum eſt, haud neceſſum eſſe, ut in cujusdam manus fiat reſignatio, ſed ſatis eſſe ſi indicata fuerit.* Si *ſecundi, longe alia fuerit renunciationis ratio, & requiritur conſenſio ſive parentium ſive ſuperiorum.* Neque enim id quæritur, an ullo caſu Abdicatio concedi poſſit? Sed an id ſit Imperatori liberum, Statibus & imprimis Electoribus invitis vel inconſultis? Hos enim pondere cauſarum permotos conſentire in Abdicationem & poſſe & debere non eſt dubium, quanquam ſi *Limnæo* credimus, etiam juſtiſſimis cauſis ſtatim Electoribus in Abdicationem conſentiendi neceſſitas non incumbit, *ſi enim magis conducibile eſt*, inquit, *& decentius videatur, ut Abdicaturiens Imperium retineat, eo Adminiſtrationis curâ ſublevato, Romanorum Regem creare poſſunt, &c. ad Capitul. Ferdin. I. in proœm. p.* 453. ubi præterea de hac re ita ſcribit, *Quemadmodum enim in Imperio purè electitio, & quod aliquid Ariſtocraticum in ſe habet, ſi neceſſitas id ſuadeat, invitus ad Gubernacula rerum trahi poteſt, ita etiam invito,*

ob

ob ſalutem publicam, imponi poteſt, ut in Adminiſtratione & curâ perſeveret, poſtquam preces & admonitiones admittere recuſaverit. Confer. *Ahasver. Fritſchium cap. 2. de reſignatione Imperij Romano Germanici.*

Quantum autem diſcrimen ſit inter Abdicationem in Imperio purè Monarchico & mixto Ariſtocratiâ, in unius Caroli exemplo ſatis clarum eſt. Is enim cum Hiſpaniæ aliisque Hæreditariis Principatibus, in quibus ſummâ cum poteſtate regnavit, renunciaſſet, nemini facti rationem reddere coactus eſt: Egregium monumentum eſt, quod habetur apud *Godelevæum in Schardij ſcriptorum Germanicorum T. 2. p. 1899.* Diploma videlicet Cæſaris, quod Latino idiomate conceptum Senator Bruxellenſis, in publicis Belgii Comitiis Caroli nomine, eo tamen præſente, recitavit, in quo expreſſis verbis ſumma ejus Majeſtas exprimitur, ita enim poſtquam Philippum Belgii Principem proclamaſſet, *Ad hæc volo,* inquit, *ut illi omnem honorem, reverentiam, & obedientiam exhibeant, ſervitia præſtent, Eumq; tali amore & ſtudio proſequantur, quo bonos & fideles ſubditos ipſorum verum ſupremum & naturalem Dominum & Principem complecti decet, & prout nobismet ipſis hactenus fecerunt, ſupplentes omnes defectus & omiſſiones tam juris quam facti, quæ poterunt in hac ceſſione & translatione eſſe & derogantes ex plenariâ & abſoluta poteſtate, omnibus legibus & conſtitutionibus, quæ ei obſtare poterunt; nam ita nobis placet.* deinde *ibidem p.* 1900. in *oratione* quam Carolus ipſe ex Charta recitavit, in iisdem Comitiis, hæc habentur verba in fine, *cui, ut morem geratis, fidem jurejurando detis, datam ſanctè & piè præſtetis mandamus & præcipimus.* Quæ omnia abſolutæ poteſtatis indicia in ſuis hæreditariis Principatibus luculenter agnoſcimus.

At cum Imperio renunciare vellet, longè alia inſtituenda ei fuit oratio: tum enim non *mandare,* nec *præcipere,* nec *pro arbitratu ſuo agere* potuit, quod diſerte ipſe teſtatur in *Mandatis,* quæ Legatis ſuis Principi Wilhelmo Arauſio, Seldio, & Hallero apud Ordines Imperii procuranda dedit, quorum ſumma erat, *ut refert Godelevæus apud Schard. T. 2. p.* 1908. *&* 1941. *Cum Senectus jam appropinquet, moleſtiſſimisq; variis morbis vires attenuentur*

entur &c. Se Fratri Ferdinando Imperium relinquere, cum vero hoc negocium Electorum munus & dignitatem maxime concernat, se citra ipsorum consensum & approbationem nihil agere voluisse, vel propositum suæ voluntatis ac statutum animi in actum perducere prius, quam ipsi de hoc certiores redditi essent. Petere igitur clementer atq; amice, ut quod gravissimis de causis secum constituisset, ipsi firmum ratumq; haberent. &c. maxime hæc confirmant verba *Wilhelmi Zenocari qui l. 5. de vita & gestis Caroli*, ita scribit; *Carolus Cæsar veteribus innixus consiliis, summo studio à Germanicis Principibus VIIviris frequenter etiam atq; etiam petebat, ut sese Imperij fasces deponere paterentur, & quamvis jam antea gravissimè constantissimeq;, pluribus variisq; comitiis ea de re habitis, renuissent se facturos, tandem septennio elapso assenserunt.*

Clarè ex his character Imperii non absolute Monarchici, sed restricti & mixti conspicitur: Siquidem Carolus in Abdicando Imperio Romano non ita libere agere potuit, ut in abdicandis hæreditariis regnis: quibus quidem primo cessit, forsan ut facilius Imperii quoque insignia deponere posset, & causâ approbatâ facilius Electorum consensum impetraret.

CAPUT II.

CUm necesse sit, causis idoneis moveri Electores, ut in Abdicationem consentiant, in eas, ob quas liceat Imperium resignare, paucis inquirere operæ pretium fuerit. Si Imperium adhuc esset hæreditarium & pure Monarchicum, voluntas Abdicantis plus, quam robur ullius causæ attenderetur: ut vidimus in exemplo Maximiani & Diocletiani, à quibus rationem facti nemo requisivit, aut jure requirere potuit. Ita quoque Lotharius nemini factorum rationem reddere tenebatur, neq; Carolus in abdicandis hæreditariis regnis, ut modo vidimus, apud eos enim fuit summum rerum judicium, ut vocat, *Tacitus l. VI. annal. c.* 8. Ubi vero Forma Reipubl. non est purè Monarchica, nec Principatus hæreditarius, sed electivus, & Majestas pluribus communicata, sicut in Romano Imperio hodierno tempore, tum causas, illis, à quibus accepit Imperium, exami-

examinandas proponat, necesse est, penes quos deinde positum est, utrum consentire velint, nec ne. Præcipua fere causa & maximi ponderis illa censetur, si Imperator ob senium aut valetudinem ad Imperii molem ferendam impar redditus est; Hanc Carolus noster allegavit, ut constat ex Legatorum ad Electores *Oratione*, apud *Godelevæum Tom. 2 Schard. p. 1914. ex Capitulat. Ferd. proœm.* apud *Limn. ex consilio Seldi apud Goldastum. Famianus* etiam *Strada* l. 1. d. 1. narrat, quomodo Belgii & Burgundiæ, & paulo post Hispaniæ dominia in Comitiis Belgii Ordinum, Bruxellis habitis, deposuerit, ubi subnectit causam, quam eo tempore præ se tulit, *ipsam* scilicet *senectutem* & *valetudinem*. Conf. *Godelev. in Tom. 2. Schard p. 1898. & Freher. T. 3. p. 484.*

Hanc autem causam solam fuisse nemo facile credit. Suberant certè aliæ, quæ variè à Scriptoribus referuntur. Sunt, qui precibus Filii Philippi cupidine imperandi flagrantis, motum affirmant, ut hæreditaria regna ipsi relinqueret, indeque factum esse, ut etiam Imperii fasces deponere coactus sit, cum Imperatori ex proprio dignitas Imperatoria sit sustinenda. Hoc facto certe aliquo modo imitatus esset Alphonsum I. Hispaniæ Regem, qui cum seculi X. initio laudabiliter regnasset, Filio Garsiæ, mortem Patris impatienter expectanti, & regnum occupare conanti, sponte cessit, filiique deinde auspiciis adversus Mauros feliciter pugnavit, ut refert ex *Ambrosio Morale Bzovius ad annum DCCCC VII.*

Præcipue alias prolixus est *Strada l. 1. d. 1.* in enumerandis causis, quæ tum temporis opinionibus & judiciis hominum circumferebantur de Cæsaris secessu, *præterquam enim*, inquit, *quod assidue articulari morbo vexatus esset, etiam animi ægritudine eum laborasse, quam ex nimia Henrici II. Galliarum Regis felicitate sibi formidabili, concepit; ad hoc animo oberrasse iniquam cum Mauritio Electore pactionem, infeliciterq; tentatam Metim, & fortunæ (quam juvenum amicam appellabat) mutationem.* Quæ confirmare videtur *Godelevæus T. 2. Schard. p. 1897.* scribens: *Quod non desint fide & authoritate præstantes viri, qui referunt, cum essent, qui à sententiâ eum abducere vellent, dixisse ipsum, impendisse se quæ habuisset omnia, & quidem in fulciendum tuendumq; maximè Ecclesiasticum Statum, pecuniam, quæ quidem*

 repara-

reparari, quodq; damnum ſarciri poſſit, ſed amiſſam quoq; eſſe exiſtimationem nominis, & valetudinem bonam, & ſtudia hominum, quæ recuperaturus eſſet nunquam. Iisdem plane verbis hæc deſcribit, *Joach. Camerarius in annotat. rerum ab anno M DL. usque ad annum M D LXI. apud Freher. Tom. 3. pag. 495.* addit tamen, *Carolum inſuper dixiſſe, omnem ſpem ereptam eſſe, Filio Imperium conciliandi,* Add. *Thuan. lib. 16. in fin.* Præterea alii inuſitatæ gloriæ cupiditati id tribuebant, eumq; famæ indulgentiſſimum animi ſui æquitatem oſtendere voluiſſe: alii religione motum, & placandæ iræ divinæ gratia id feciſſe ſcribunt, quod ſcilicet contra datam Pontifici fidem, cum Anglo, ut ille putabat, Hæretico, fœdus percuſſiſſet; quod interimiſticam in Germania religionem permiſiſſet, quod Româ captâ & direpta Vicarium uti ajunt, Chriſti captivum detinuiſſet &c. His omnibus pœnitentiâ eluendis ſolitudinem elegiſſe. Id certe conſtat, Carolum jam diu conſilium illud animo agitaſſe, & quidem triginta annis ante, quam id exequeretur, nunc vero exhauſtis viribus, & adverſis eventis fractum id perfeciſſe. Teſtibus *Godelev. Tom. 2. Schard. p. 1896. Camerar. Tom. 3. Freh. pag. 494. Strada* vero *cit. loc.* Eum octo annis ante in Teſtamento Auguſtæ condito, mentionem futuræ Abdicationis feciſſe ſcribit. Cæterum has inter cauſas Juſtifica eſt, ſola *virium imbecillitas*, reliquæ vero ſuaſoriæ, quæ etſi plus fortaſſe ponderis haberent, ad animum Cæſaris impellendum, tamen nec allegatæ ab illo fuere publicè apud Electores Imperii, nec ſi fuiſſent, cauſæ pondus aliquod adjeciſſent, impetrando eorum conſenſui: Quin iſta quoque vix inveniſſet locum, niſi neceſſitatibus Imperii, jam pridem electo Rege Ferdinando abunde fuiſſet ſatisfactum.

CAPUT III.

CUm Imperatori liceat certo modo ſe abdicare Imperio, in cujus manus commiſſam Majeſtatem tradere debeat? diſpiciendum eſt. Antehac nemo dubitavit, quin in manus Electorum, tanquam à quibus accepit, Imperator abdicaturus Imperium reddere deberet, illi enim ſunt, à quibus totius Imperii nomine Titulum & jura Majeſtatis, quæ habet, poſſi-

poſſidet, 'ea vero cum non habeat ſolus, nec omnia, nec hæreditaria depoſiturus, rerum ordini nexuique naturali conveniens eſt, ut cum illis, à quibus accepit, tum illis cum quibus communiter tenuit, poteſtatem reſignet. Jam vero cum Carolus V. Imperium reſtituiſſet Statibus, Paulus IV. Pontifex Romanus dubium movit, & reſignationem Imperii in ſuas manus fieri debuiſſe, multis rationibus demonſtrare conatus eſt. Cum enim Ferdinandus Imperator poſt mortem jam Caroli, per Gusmannum Legatum ſuum Pontifici, quæ in Imperio hactenus acta eſſent, ſignificare vellet, Papa inſperatis ſuis poſtulatis non ſolum Caroli jam defuncti reſignationem irritam facere, & Electorum acta reſcindere, conatus eſt ſed & Ferdinandum agnoſcere Imperatorem noluit, vid. *Thuanum* prolixius hanc Hiſtoriam deſcribentem. l. 21.

Veruntamen nullam in Imperio poteſtatem Pontifici eſſe concedendam, ejusque prætenſiones injuſtas plane eſſe, perſuaſiſſimum habemus cum *Carpzovio*, *comm. in Legem Regiam Germ. cap.* 14. & aliis. An tamen Carolus, è ſuâ religione conſcientiam informans, debuerit Imperium depoſiturus, illius vel conſenſum impetrare prius, vel, quod volunt iſti, ejus in manus, quaſi ab ipſo etiam acceptum tradere, disquiri meretur: Ideoque Papæ rationes, utrum negligi ab eo potuerint, audire lubet: *Primo*, cum Pontifex Chriſti ſit vicarius, Chriſto vero omnis poteſtas data ſit in cœlo & in terrâ, ergo, ajunt, Pontifici eandem, ac proinde etiam in omnia terræ Imperia eſſe concedendam? Sed verò vicariatum hunc Papæ, etſi Pontificii concedere coguntur, hactenus tamen auſi non ſunt, ne ipſi quidem Pontifices ad alia, quam Eccleſiaſtica, extendere, niſi quod indirectam quandam in Principes Regesque poteſtatem, ex ipſo illo Chriſti vicariatu derivant, juxta quam, ſi Eccleſiæ profectibus illi remoram faciant, in eos animadvertere, aut quocunque alio modo eorum regimini intervenire Papa poſſit. Nam etſi adulatores quidam Pontificum, eam poteſtatem ad transferenda ac donanda mundi regna quævis extendere conati ſunt, tamen inter dogmata Eccleſiaſtica id non eſt relatum. Annon vero ipſe Carolus ſuæ cauſæ præjudicium fecerit, agnoſcendo tan-

tam, quantam sibi vindicant, Pontificum potestatem in regna mundi alia, dum Indiæ occidentalis imperium illo solo jure se possidere necesse habuit credere, quo Ferdinandus Catholicus, avus ipsius maternus, sibi acquisivit, donatione nimirum Alexandri VI. Papæ, qui populos omnes Barbaros à primo meridiano versus ortum habitantes Lusitano, versus occasum Hispano, ne videlicet invasores alienæ rei essent, ex illa suâ plena potestate, in mundi regna quævis concessit, id disquirendum aliis relinquo. nimirum ubi conducebat, agnita illa est potestas; alibi acerrime impugnata. à primis certe initiis Pontificum istis prætensionibus alioqui contradictum esse compertum habemus. ex innumeris hujus rei monumentis id unum producam, quod jam olim Fridericus II. Imperator ad Regem Galliæ his verbis extulit, *Etsi Romanus Pontifex plenariam in spiritualibus habeat potestatem, ut peccatores quoslibet possit absolvere & ligare, nunquam tamen legi, ut Papa divinâ vel humana lege concedente, possit transferre pro lubitu Imperium, aut de Regibus & principibus in regnorum privatione temporaliter judicare. Lehman.* ex monumento ipso. *l. 5. Chron. Spir. c. 32.*

Tanta vero hujus potestatis amplitudo cum sit, ut ad regna Christiana quævis, imo totum terrarum orbem se extendat, & vero peculiari ratione Romani Imperij conferendi sibi jus Pontifices arrogent, aliis utendum sibi quoque argumentis existimavit *Bellarminus* in suo opere de *Translatione Imperij* contra *Illyricum*. Nimirum quod ista Translatio à Græcis ad Francos, & mox ad Saxones, Pontificum fuerit munus, ex quo sequatur, Romanum Imperium beneficium Pontificis, Imperatorem vero quasi ejus Vasallum esse. Assumptum quod attinet, abunde id constat, Italiam à Longobardis vindicatam jure belli, Romam ipsam (nihil extra sua pomœria publicè tunc possidentem) advocatione Senatus populique Romani in Caroli M. potestatem venisse, dudum antequam Augusti & Imperatoris titulos illos Pontifex acclamante populo illi conferret. Si quid igitur est, quod in Carolum Magnum collatum est à Papa, nil præter nomen fuit. in quam sententiam jam olim *Johann. de Parisiis in Tract.*

de

de Potestate Regia & Papali cap. 16. hæc verba habet; *quod Papa Imperium de Græcis transtulit ad Germanos, Respondeo, non transtulit veritatem, sed nomen, quia indignabantur Romani, quod Imperium vel Imperij nomen ab iisdem Constantinopolim erat translatum, & ideo Carolo, quem pro sua defensione vocaverant, victoriis habitis laudes acclamaverunt, & Imperatoris ei nomen dederunt,* ex *Chronico Floriacensi.* Eodem refer, quod canit hac de re *Güntherus* tempore Friderici primi *l.* 6. *Ligurini sui.*

Num Petrus & Clemens & cætera turba piorum
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore prisco
Pauper erat præsul, regali munere crevit;
Nec tamen ut fasces & regni jura Latini
Vel dare præsumat, vel cuiquam tollere possit,
Sed neque tanta fuit largitio, nec dare quisquam
Quo caret ipse, potest, hujus collatio regni
Authorem sortita DEum, contingere nulli,
Jure potest hominum, collator muneris hujus
Est DEus -- -- -- -- --

Cæterum magnus eorum numerus, qui ex professo in hac materia versati sunt, huc referri posset, nisi brevitatis habenda esset ratio. præcipui sunt *Guilielmus Ockamus, Marsilius Menandrinus Patavinus, Franciscus Petrarcha, Gregorius Heimburgius, &c.* quos omnes *Goldastus in Monarchiâ suâ Imperij,* ad Imperatoris Majestatem à Pontificis tyrannide vindicandam, exhibet. Quæ cum ita sint, neque Carolus V. neque Ferdinandus Frater religioni sibi ducere debuere, cum Pontificem Romanum in Abdicationis negocio ita negligerent, ut de ejus consensu impetrando non essent solliciti: cùm id superioritatis jus in Politicis Imperii negociis, sive ex titulo Translationis sive ullo alio à Pontificibus Romanis prætensum, eorum Antecessores non agnoverint sed eidem constanter & apertè in Imperio nostro sit contradictum.

Pergit vero *Bellarminus* etiam ex *Coronatione Imperatoris,* Pontificum manu pridem facta, tale Pontifici superioritatis jus asserere. Sed qua id consequentiæ virtute, ipse viderit. Nam

& Imperatores Conſtantinopolitani ab illius urbis Patriarchâ ungi coronarique conſueverunt, & Reges Galliæ ab Archiepiſcopo Remenſi inunguntur, neque tamen Epiſcopi illi ſunt ſupra Reges. Plures quoque Imperatores à Pontifice coronati non ſunt, & tamen legitimi fuere. Ita ipſe Cardinalis *Cuſanus* aperte ſcribit *l. 3. de Concord. Cathol. cap. 4. Unctio & Coronatio nec arguunt in Papâ majoritatem ſupra ipſam electionem, vel confirmandam vel infirmandam, ſicut nec Unctio, quæ fit Regi Franciæ Remis, aut Coronatio ipſiusmet Imperatoris per Epiſcopum Colonienſem Aquisgrani.* Memorabile quoque eſt reſponſum Rudolphi primi Imperatoris, *multos* inquit ille, *Allemannorum Reges Italia conſumpſit. non ibo Romam. Rex ſum, Imperator ſum, nec minus pro utilitate Reipublicæ me facturum confido, quam ſi Romæ fuiſſem coronatus. Goldaſt. in Conſtit. Imp. Tom. I. p. 311.*

Hæc itaque cum præcipua ſint argumenta, quibus Pontifex poteſtatem ſibi eam, de qua hactenus controvertitur, in Germanicum Imperium vindicare eſt conatus; jam palam eſt, aſſurgere iis nequaquam Carolum debuiſſe, etiam ſuis utentem principiis: præſertim cum fere omnes ante ipſum Imperatores talibus poſtulatis jam ex antiquo contradixerint.

Certe Fridericus olim Ænobarbus graviter offenſus eſt, cum Hadrianus IV. Pontifex his verbis in Epiſtola ad eum miſſâ, uſus eſſet, *debes, Fili Chariſſime, ante oculos gratanter reducere, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris S.S.R. Eccleſia, & qualiter Imperialis inſigne coronæ libentiſſime conferens, benigniſſimo gremio ſuo, Tuæ ſublimitatis apicem ſtuduerit confovere. Neq; tamen pœnitet nos, deſideria voluntatis Tuæ in omnibus impleviſſe, ſed ſi majora beneficia Excellentia Tua de manu noſtra ſuſcepiſſet, non immerito gauderemus.* Hac, inquam, Epiſtola lecta, Imperator non ſolum, ſed & Principes qui aderant, tantâ indignatione commoti ſunt, ut, cum alter legatorum diceret, *à quo ergo Imperator habeat Imperium, ſi non à Papa?* Otto Palatinus evaginato gladio in eum impetum fecerit, ipſumque trucidaturus fuerit, niſi ab Imperatore fuiſſet prohibitus. *Radevic. l. 1. c. 8.* Ideo autem Imperium *beneficium* vocari Principes tantopere averſati ſunt, quod feuda eo tempore beneficia appellarentur.

Ludo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [24] - 14
PUBLIC DOMAIN

Ludovici quoque Bavari tempore, Electores acriter ſacram Imperii Majeſtatem tutati ſunt. In Moguntiæ vico Reinenſi congregati, & Benedicto XIV. hujus nominis Pontifici, litteris transmiſſis, tales prætenſiones in Imperium graviter retuderunt. Epiſtola exhibetur in *Rebdorff. T. 1. Freheriano. p. 427.* Decretum inſuper omnium conſenſu factum, & ſequentibus Comitiis Francofurtenſibus in Imperio publicatum eſt, quod *Lehmannus* ex Balbo Gurcenſi recenſet. *l. VII. c. 17.* & *Aventinus l. 7. in annal. Bejorum.* Decretum Latino Idiomate promulgatum ita habet:

Licet jura utriusq; teſtamenti manifeſte declarent, Imperialem dignitatem & Poteſtatem immediate à Filio DEI ab antiquo proceſſiſſe, & DEum per Imperatorem & Reges mundi jura humano generi aperte tribuiſſe, & quod Imperator ex ſola electione eorum, ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicujus alterius eget confirmatione ſeu approbatione: quoniam in terris quoad temporalia non habet ſuperiorem, ſed eidem gentes ſubſunt, & nationes: Et ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus mandavit, quæ ſunt DEI DEO, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari reddenda; Quia tamen nonnulli avaritiæ & ambitionis cæcitate ducti, & nullius ſcripturæ intelligentiam habentes, ſed divertentes à tramite recti ſenſus in quædam iniqua & prava commenta, & in aſſertiones deteſtabiles prorumpunt, contra honeſtatem & auctoritatem Imperialem & jura Imperatorum, Electorum, & aliorum Principum & Imperij fidelium committentes, ſallaciter aſſerentes, quod Imperialis dignitas & poteſtas eſt à Papâ, & quod Electus in Imperatorem, non eſt verus Imperator, niſi prius per Papam aut ſedem Apoſtolicam confirmetur, approbetur & coronetur: & per hujusmodi pravas aſſertiones & peſtifera dogmata hoſtis antiquus movit lites, jurgia ſuſcitat, contentiones parit, & ſeditiones procurat. Ideo ad tantum malum evitandum, de conſilio & conſenſu Electorum, & aliorum Principum Imperij declaramus, quod Imperialis dignitas & poteſtas ſit immediate à ſolo DEO, & quidem de jure & Imperij conſuetudine antiquitus approbata; poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem ſive Regem, ab Electoribus Imperij concorditer, vel majori parte eorundem, ſtatim ex ſola electione eſt Rex verus, & Imperator Romanorum cenſendus & nominandus, & eidem debet ab omnibus Imperio ſubje-

subjectis obediri, & administrandi jura Imperij, & cætera faciendi, quæ ad verum Imperatorem pertinent, plenariam habet potestatem, nec Papæ sive sedis Apostolicæ, aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, authoritate indiget vel consensu; & ea propter hac in perpetuum valitura lege decernimus, ut Electus in Imperatorem concorditer vel à majori parte Electorum, ex solâ Electione censeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus subjectis Imperio debeat obediri, & administrationem & jurisdictionem Imperialem, & Imperialis potestatis plenitudinem habeat, & habere & obtinere ab omnibus censeatur, & firmiter asseratur. Quicunq; autem contra hæc declarata decreta vel definita aut aliquid eorum asserere vel dicere, aut asserentibus vel dicentibus consentire, vel eorum mandatis, vel litteris, vel præceptis obedire præsumpserit, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratiis & jurisdictionib⁹, privilegiis & immunitatibus à nobis vel prædecessorib⁹ nostris, eis concessis ex nũc privamus, & ipso jure & facto decernimus, esse privatos. Insuper eos crimen læsæ majestatis decernimus incurrisse, & pœnis omnibus impositis crimen læsæ majestatis committentibus subiacere. Datum in oppido nostro de Frankenfort. d. 8. Mens. Aug. anno Dom. 1338.

Eventus itaque totius controversiæ, quam Paulus IV. Ferdinando, propter Abdicationem Caroli non sibi factam, movit, alius non fuit, quam ut, post breve negotium, quod Ferdinando in vindicando suo jure faciebat (Seldo enim Cancellario suo injunxit, ut postulata Põtificis scripto luculẽto redargueret, quod exhibet *Goldast. parte 5.* **in den politischen Reichshandlungen.**) ridendum se potius, quam formidandum aliis præberet. Certè ejus in throno Papali successor Pius IV. fateri iniquitatem postulatorum Antecessoris sui coactus est, cum quæ ille improbavit pertinaciter, hic mox rata haberet. teste *Thuan. l.* 21.

CAPUT IV.

QUod tempus & ordinem attinet, quo se Imperio Carolus abdicavit, diversitas est apud scripores, alii Anno M D LV. alii LVI. alii LVII. Abdicationem fuisse factam scribunt: Sed facili negocio hac in re conciliari possunt, quippe Año M D LV. Belgio, Burgundia & Hæreditariis regnis cessit. *Godel. T.* 2. *Schard. p.* 1897. *Thuan. l.* 12. *hist. ad annum M D LV. Joach. Camerari-*

merarius T. 3. apud Freherum. p. 484. Famian. Strada l. 1. d. 1. Anno M D LVI. in Hiſpaniam navigavit, & Imperij Adminiſtrationem Ferdinando Romanorum Regi, ut ſæpe alias, commiſit, nondum tamē à ſe abdicavit, ut teſtantur litteræ ad Ordines Imperii miſſæ, quibus mandat, ut Fratri interea pareant, quas exhibet *Godelev. T. 2. Schard. p.* 1907. Legatos quoque eo anno ad VIIviros miſit, qui conſenſum eorum impetrarent ſuſcipiendæ Abdicationi. *Thuan. l. hiſt.* 12. *ad annum M D LVI.* Demum vero anno M D LVIII. Legati auditi ſunt in Comitiis Francofurtenſibus, ubi Abdicatio rite facta, & ab eo tempore Ferdinandus pro Imperatore habitus eſt. *Godelev. T. 2. Schard. p.* 1915. ideoque non accurate ſcribunt quidam alias Eruditiſſimi Chronologi, inter quos *Chriſtophorus Adamus Rupertus*, Carolum Anno M D LV. ſe Imperio abdicaſſe, cum usque ad annum M D LVIII. Caroli Imperium duraverit, licet interea adminiſtrationis curam Rex Romanorum geſſerit. Confirmatur hoc ex eo, quod usque in annum M D LVIII. ſub nomine & ſigillo Caroli edicta Imperialia in publicis Imperii dicaſteriis ſunt edita. *Godelev. T. 2. Schard. p.* 1916. Videri alioqui Carolus poſſet, præter ordinem feciſſe, quod non expectato Legatorum reſponſo in Hiſpaniam ipſe abiit, Ferdinando Fratri adminiſtratione tradita; potuiſſent enim Electores non conſentire. Verumenimvero, cum hæc traditio non fuerit alia, quam fiduciaria, ut ex ante dictis clarum eſt, ſæpiusque idem ab eo factum fuerit antea, quoties in Hiſpaniam aut Africam profectus, aliisve negotiis diſtrictus fuit, nulli utique potiori jure, quam eidem Romanorum quippe Regi, in eum finem Electo, ut Imperatori in adminiſtrando Imperio ſubveniat, poteſtatem tractandi & conſtituendi nunc quoque conceſſit, publicoque edicto monuit, ut Ordines interim ei parerent, usque dum Electorū impetrato conſenſu, penitus abdicaret. Pleno enim jure Ferdinando Imperium tradere, etſi ille in ſpem ſucceſſionis jam fuiſſet evectus, Carolus non æque valuit, atque Diocletianus & Maximianus Herculius Galerio Conſtantioque, quos pridem Cæſares dixerant: nimirum propter defectum plenæ poteſtatis in Abdicando, quæ penes iſtos quidem fuit: etſi alioqui Ferdinando ſucceſſio non potuerit dubia amplius reddi.

Quod vero non expectato Electorum Consensu in Hispaniam abierit Carolus, tempori adscribendum est: miserat Legatos ante discessum suum ad Electores, sed illi mandata biennio demum post exponere potuere, multis intervenientibus causis. *Godelev.* apud *Schard. p.* 1908. *Thuan. l.* 15. *ad annum M D LVIII.* Ille interim tamdiu expectare, & tempestatem ad navigandum commodissimam negligere non potuit. Cæterùm nec de Principum consensu dubitavit, quod Imperium se absente, nullum accepturum detrimentum sciebat, facileq; consensuros Electores, eximia benevolentia prosequentes Ferdinandum, quē in procurandâ pace publicâ, adeò facilē experti erant.

Legati itaque Guilielmus Princeps Arausius, Sigismundus Seidus I Ctus, & Hallerus Secretarius anno M D LVIII. in Comitiis Francofurtensibus comparuerunt, & in Principum Electorum consessum introducti, ibi mandata exposuerunt, (quorum summam habet Godelevæus) XXIV. d. Februar. eo videlicet die, quo Carolus ante annos LVIII. Gandavi natus erat. *Zenocarus l.* 1. *p.* 23. ante tres & viginti annos Franciscum Galliæ Regem ceperat. *Idem l.* 1. *p.* 42. ante vero annos viginti & octo Bononiæ à Clemente VII. Romanâ Coronâ erat insignitus, *Henr. Corn. Agrippa T.* 2. *Schard. p.* 1261. *Godel. ibid. p.* 1913. *Zenocarus l.* 5. *p.* 293. *Thuan. l.* 15. *hist.*

Electores denique ægrè consensisse author est Zenocarus l. cit. Godel. *T.* 2. *Schard. pag.* 1915. Quod Abdicationis attinet formulam, facta illa est simpliciter, sine conditione aut reservato. Per illam itaque remissa sunt obsequia Statibus, reddita Majestas Imperii, ut alii conferretur. Tituli tamen axioma retentum, non aliter, quam ut quidam pristini splendoris radii relinqui solent post solem. Cæterum quod ita redditum semel est, repeti quasi jure postliminii non potuit. Quin autem idem, qui Imperio cessit, revocari novâ Electione VII virorum ad capessendas Imperii habenas possit, modo ipse velit, nemo dubitat. Sunt alioqui ut rara exempla eorum, qui Imperium deposuerunt, ita rariora, qui resumere conati sunt, quanquam & illud etiam infelici successu: Maximianus nempe Herculeus in conatu ipso occisus, & Henricus IV. nunquam serio id dimittens, quod dimissurum se invitus spoponderat, itaq; destitutus fere ab omnibus tempestivâ morte occupatus est. Quod vero Carolus præviâ accuratâ deliberatione in hac re semel decrevit, nunquam mutare voluit. Nec verisimile est, Carolum initi consilii pœnituisse, ut quidam ferunt, quod Gravellano post aliquot annos dicenti ad Philippum Regem: *Anniversarium illum esse diem, quo Carolus Pater Imperio regnisq; cesserit;* is responderit, *& hunc quoq; diem anniversarium esse, quo illum cessisse pœnituit:* addit suum judicium *Strada l.* 1 *d.* 1. *Hoc,* inquiens, *incerto rumore prolatum facile percrebuit apud homines, non in tam inaudito facinore constantiam vel unius diei persuadentes: nisi forte Philippus putavit, in parente non laudandum, quod imitandum sibi non statueret.* In quo *Strada* judicio & nos acquiescimus.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [28] - 18
PUBLIC DOMAIN

C. B. D.

DISSERTATIO
DE
ELECTIONE
IMPERATORIS
ROMANO-GERMANICI,

QVAM

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

DN. VLRICO OBRECHTO,

IN ALMA ARGENTORATENSIUM
UNIVERSITATE HISTORIAR.
PROFESSORE CELEBERRIMO,
Dno. Patrono, Præceptore atque Hospite
suo æternùm colendo,

Ex ejusdem Prælectionibus publicis desumptam,


solenniter defendet

JOHANNES GEORGIUS GRAMBS,
Mœno-Francofurtensis.

A. D. *Mens. Mart.*

ARGENTORATI,
Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.
ANNO M DC LXXVI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [29] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [30] - -

PUBLIC DOMAIN

C. B. D.

DE

ELECTIONE IMPERATORIS ROMANO-GERMANICI.

I.

PLurimum intereſt in Republica, quomodo ad illum, qui ex omnibus unus, præcipuâ vel ſummâ cum poteſtate imperaturus eſt, civile regimen perveniat. non quod ipſa Reipublicæ forma hinc dependeat, & *diſcrimen ſummi Imperii, aut ſummo minoris, ex delatione Imperii per electionem aut ſucceſſionem ſit petendum*; ut exiſtimârunt, quos *H. Grotius de Jure Bell. & Pac. lib. 1. cap. 3. n. 10.* refutat: Neque quod ex duobus hiſce primariis ad Imperium perveniendi modis, unus in alterius opprobrium unicè ſit commendandus. Sed quia multarum nationum ætatumque experimentis comprobatum eſt, publicam Imperiorum tranquillitatem perinde vigere, vel periclitari, prout regiminis deferendi propagandive ratio, cum ipſo gentium ac Rerumpublicarum habitu ſtatuq; bene aut ſecius, vel ex ſe convenit, vel per fundamentales Reipublicæ leges conciliatur.

Farbkarte #13
Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [31] - 1
PUBLIC DOMAIN

II. Quod argumento eſt, nobiliſſimam diſciplinæ, quæ circa iſthæc verſatur, partem, exemplis, cognoſcendisque præcipuis variorum populorum inſtitutis conſtare. Electionis autem forte per univerſum orbem illuſtrius atque ad multiplicem profectum civilis ſcientiæ accommodatius ſpecimen occurrit nullum, quam in Imperio noſtro Romano-Germanico: præſertim ſi variæ temporum rerumque vices expendantur, per quas ad iſtam formam deventum eſt, qua hodie peragitur Imperatoris Electio. Unde pretium operæ me facturum exiſtimavi, ſi quasdam hujus generis meditationes Academicæ diſquiſitioni ſubjicerem: & id quidem, non argumenti ſupra captum ætatis meæ poſiti, ſed ingenii duntaxat excolendi ſtudio propoſitoque: quod directioni Divinæ, gratiæ Superiorum, Commilitonumque favori obnixè cupio eſſe commendatum.

III. Sequar autem, ut ordo dicendis conſtet, partitionem, quam in explicanda Magiſtratuum creatione commendavit & amplexus eſt *Ariſtoteles Politicor. lib. IV. cap.* 15. ubi monet multum referre, ut in conſtitutione magiſtratuum accuratè diſtinctéque cognoſcatur *I. Ex quibus creentur Magiſtratus? II. à Quibus? III. Quomodo?* His autem breviter pro inſtituti modo expeditis, illi quoque Philoſophi admonitioni locum dabo, qua curari ſtudioſè vult, *ut rectè ac cum judicio tota hæc res applicetur, ſingulig, quibus hæc fieri queunt, modi, ſingulis Rerumpublicarum formis accommodentur.*

IV. Primus locus, ex quibus eligatur Imperator? duo complectitur; *Nationem* eligendi & *Ordinem*: Natione *Germanus* ſit oportet, ut quis ad hoc faſtigium *idoneus* exiſtimetur. In quo diſtinctè inveſtiganda

ganda est ratio, *tum* quâ Germaniæ Rex alius quam Germanus eligi non potest; *tum* quâ Romanus Imperator creari nequit, nisi qui Rex Germaniæ eligitur. Atque Germanos quidem ab alienigenarum Regum dominatu inde jam ab antiquo non immunes duntaxat, verum maximè aversos fuisse, reperio. Unde jam apud *Tacitum* maximo popularium applausu, contra Italum quamquam Germanicæ stirpis Principem, solum quod is Romæ natus esset, fremunt Cherusci: *Adimi veterem Germaniæ libertatem, & Romanas opes insurgere. Adeò neminem in iisdem terris ortum, qui principem locum impleat; nisi exploratoris Flavii progenies supra cunctos attollatur? Frustra Arminium præscribi: cujus si filius hostili in solo adultus, in regnum venisset, posse extimesci, infectum alimonio, servitio, cultu, omnibus externis.* Estque omnium deinceps seculorum experientia comprobatum, quod in gravissimo consilio ad Maximilianum II. tradit *Lazarus Svendius*: Daß das Teutschland/ so lang man darvon Gedächtnuß hat/ und biß in die zwey tausend Jahr her / schier vor allen andern Nationen und Völckern diesen sondern Vortheil / Gab und Gnade von GOtt gehabt / daß es sich allewegen vor allem frembden Gewalt geschützet und erhalten hab: also daß es sich niemahl durch einige frembde Nation hat regieren und beherrschen lassen. ꝛc. *Ann. XI, 16, 5.* *ap. Goldast Politisch. Reichshändel Part. 24. cap. 3. §. 9. 11. & 15.*

V. De Romano autem Imperio satis liquidò constat, inde jam ab Ottone I. ejus hanc conditionem fuisse, ut illud nemini deferretur, nec deferatur etiamnum, nisi quem Germania sibi Regem elegit. Magna certè cum fiducia provocarunt ad jus istud Proceres Germaniæ in electione Friderici I. è quibus unum producit *Guntherus* ita de hac re differentem: *Ligur. lib. 1*

Quodlibet arbitrium statuendi Regis habemus,

Ex quo Romanum noſtrâ virtute redemtum
Hoſtibus expulſis ad nos juſtiſſimus ordo
Tranſtulit Imperium: Romani gloria regni
Nos penes eſt: quemcunq; ſibi Germania Regem
Præficit, hunc dives ſubmiſſo vertice Roma
Suſcipit, & verſo Tiberim regit ordine Rhenus.

Neque ipſos Romanos Præſules aliter ſenſiſſe complura teſtimonia illorum comprobant: imprimis Innocentii III. qui citra ambages profitetur: *ſe recognoſcere illis Principibus, jus & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promovendum, ad quos de jure & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere.* quanquam is originem juris hujus non ab Ottone demum, ſed Carolo M. repetat. Poſt hunc Gregorius X. quando de Rudolpho Habspurgico præ Ottocaro Bohemiæ Rege ad Imperium eligendo deliberabatur; *Cum in Alemannia*, inquit, *plures Principes & Comites habeamus, quare vellemus Sclavum ad Imperium ſublimare?*

Cap. Venerabilem. 33. X. de electi-on.

Siffrid. Presbyt. A.C. 1274.

VI. Objiciuntur quidem vulgo Alphonſus Caſtellanus, Richardus & Eduardus Angli, in Romanorum Imperatores electi. Sed parum exiſtimo his exemplis motum iri, qui ſtatum temporum, vel ipſum ſolummodo modum eventumque, quo quisque electus eſt, paulo diligentius expenderit. Nam Alphonſus quidem & Richardus electi ſunt turbulentiſſimo illo intervallo, quod inter Fridericum II. & Rudolphum I. interceſſit; quo quam nihil fere jure ac more probo in Republica geſtum adminiſtratumque ſit, dicere, nihil attinet, vid *Lehmann. Chron. Spir. lib. V. cap. 95.* de electione verò ipſa operæ pretium fuerit ſcriptoris Itali atque illis temporibus coævi judicium adducere. *Monachi ſcil.*

ſcil. S. Juſtinæ Paduanæ: qui lib. III. de rebus Inſubribus & Euganeis ſcribit: *Interfecto à Friſonibus in bello Rege Allemanniæ Guilelmo: convenerunt Principes ad electionem more ſolito faciendam: cum igitur tractarent de Principe idoneo eligendo, humani generis inimicus ſeminavit zizania inter eos. Nam quidam Comitem Richardum, fratrem Regis Angliæ, Regem Allemanniæ elegerunt: alij verò vota in Regem Caſtellæ penitus tranſtulerunt:* neque obſcurum eſſe ſinunt ſcriptores illis temporibus vel coævi, vel proximi, quibus armis patriæ mos oppugnatus tum fuerit à Richardo. Annales Dominicanorum Colmarienſium: *Richardus frater Regis Angliæ donis Regnum obtinuit Romanum.* A.C. 1257. Fragmentum Hiſtoricum Alberto Argentinenſi præfixum: *Epiſcopus Colonienſis audiens Wilhelmum eſſe occiſum, ad Angliam perrexit, & inde duxit Richardum Ducem Cornubiæ, quem ipſe & Epiſcopus Moguntinenſis elegerunt in Regem, quibus dedit multam pecuniam, & cæteris Epiſcopis Alemanniæ & Nobilibus terræ. Et cum adhuc opulentus eſſet in divitiis, vehebatur per Principes Alemanniæ ad ſingulas civitates & oppida Imperii ſuper fluvium Rheni. Cum autem Richardus Rex perveniſſet usque ad Civitatem Baſileam defecit ei ſubſtantia. tunc reliquerunt eum Principes Alemanniæ ſolum, dicentes, quod cum non elegerunt propter perſonam, ſed ratione ſubſtantiæ; & dederunt ei libellum repudij, & per aliam viam reverſus eſt in regionem ſuam: cujus Regis memoria cum ſonitu periit.* Alphonſum verò neque tum, neq; poſtea ab aliis quam à quibus electus fuerat pro Alemanniæ vel Romanorum Rege habitum eſſe conſtat. Unde Rudolphi I. denuò competitor fuit. Siffridus Presbyter: *Gregorius X. electionem Regis Rudolphi confirmavit, reprobatis nuntiis Regis Hiſpaniæ & Regis Bohemiæ.* Ita Eduardi quoque

electio

electio, ſicut inter medias turbas & per factionem eorum maximè peracta eſt, qui ne jure quidem liquido eligendi Regem Germaniæ potiebantur: ita detrectante ultro oblatum diadema Eduardo, nec eventum habuit, nec ad interruptionem moris legitimi probandam ullatenus idonea eſſe poteſt. Conſulatur de illa potiſſimum *Albertus Argentinenſis in Chron. A. C.* 1348.

VII. Validiori ratione niti videntur, qui dubitant; an expreſsâ lege unquam ſancitum ſit, ne alius quam Germanus ad hoc faſtigium evehatur? Electorem equidē Moguntinum in electione Caroli V. ad publicas Imperii Conſtitutiones provocaſſe, teſtantur *Sleidanus Commentariorum lib.* 1. *& Sabinus*, ſive potius, ut *Chytræi* indicio diſcimus, *Philippus Melanchthon in deſcriptione Electionis Caroli V. apud Goldaſt. Polit. Imper. Part.* 1. *cap.* 17. ille quidem conciſius: *Legibus noſtris & jurejurando nos arbitror impediri, ne Franciſcum eligamus, quibus cautum eſt, ne decus hoc Imperii transferatur ad exteros.* Hic plenius: *De Franciſco eligendo arbitror nos impediri noſtris legibus & jurejurando. Eſt enim diſertè conſtitutum, ne extero, ſed Germanico Principi Imperium commendetur, ne hoc tantum decus ad exteras nationes transferatur: & non modo Germania veniat in ſervitutem, ſed etiam in Italia, aut ſtatu Eccleſiæ mutatio ſequatur.* Sequitur mox: *Cum igitur conſtet, excludi Gallicum Regem conſtitutione publica, quam jurati in electione ſequimur, nihil opus eſt longâ diſputatione.* Qualibus quidem verbis ſi uſus eſt Moguntinus, rationem habet ſatis manifeſtam illorum explicatio, qui ad id reſpexiſſe illum dicunt, quod in Aurea Bulla Caroli IV. injungitur Electoribus, ut *idoneum* eligant: ſiquidem juramento Electorum aliud quidquam non legitur expreſſum. Neq; tamen

tamen hoc modo potissima, quæ hic subest, difficultas expedita erit; nisi ostendatur, qua lege cautum sit, ne pro *idoneis* alienigenæ habeantur. Et omninò quidem de Patria eligendi quicquam lege aliqua expressa nunquam fortasse statutum est: *ut alius quam Germanus eligi vel in Regem Germaniæ, vel in Imperatorem Romanum non possit*: Cæterùm ex eo, quod sub Ottone I, uti solidissimè demonstravit *Conringius*, Germaniæ in Imperium Romanum jus perpetuum transscriptum, constitutumque adeò est, ne quis deinceps alius pro Imperatore Romanorum haberetur, nisi quem Germania sibi Regem elegisset, verosimillimum est, tacito consensu invaluisse illam, quæ hodie firmiter obtinet de Germano eligendo consuetudinem: quod non aliter putaretur Imperij decus conservari Germaniæ posse, nisi ipsi quoque Germaniæ, Rex Germanus præficeretur. Imò nec ipsa traditio *Mutij*, *Irenici*, & aliorum, ac si tempore Ottonis III. Constitutio de Germano eligendo, lata esset, aliunde videtur manasse, quam quia pridem opinio invaluerat, circa illa demum tempora, jus eligendi Romanum Imperatorem ad Germanos fuisse translatum: Cui quidem Albertus Argentinensis etiam est adstipulatus, initio *Chronici* sui scribens: *Principes Germaniæ, virtute translationis ad ipsos factæ ex morte Ottonis Tertij Imperatoris, Richardum in Regem Romanorum elingere decreverunt.* Confutavit verò illam abundè *Conringius de Imp. Germ. Rom. cap.* 10. *de Imper. Germ. Ro. cap.* 10.

VIII. Circa ordinem eligendi requirit *Limnæus*, ut in Imperatorem promovendus sit *natus ex familia illustri*: & observat insuper *Conringius*, in omnibus Germanicis populis Reges non ex promiscuo hominum *I. P. II. 2. 79.* *Annotatis ad Lamp. part. 3. cap. 4. §. 1.*

ordine, sed ex sola nobilitate creatos, idque de vetustissimis jam temporibus confirmat *Tacitus Germ. VII*, 1. ubi de Germanis, *Reges*, inquit, *ex nobilitate*; *Duces ex virtute sumunt*. Neque succedenti ævo stirpis antiquitas & decus neglectum, vel in Rege creando infra Comitum dignationem unquam est descensum. Imò ne ad Comites quidem perventum, nisi necessitate Reipubl. exigente, declarant exempla rariora Wilhelmi Hollandiæ, Rudolphi Habspurgi, & Adolphi Nassoviæ, denique Guntheri Svvarzenburgi Comitum. Imprimis autem ex Wilhelmi Hollandiæ Comitis electione observationem licet mutuari peculiarem: Imperatorio Culmini indecens esse habitum, nisi ante coronationem in equitum numerum solenni ritu cooptatus fuisset, qui, cum eligeretur, armiger duntaxat erat: quod de Wilhelmo *Joh. de Beka in Chron. p. 77.* annotavit, & *in Chron. Belg. Magn.* transcriptum est.

IX. Ad ordinem quoque eligendi pertinet, ut de *stirpe Regia* videamus: cujus multi rationem habendam negant, hoc ipso, quia Electivum est Imperium nostrum. Sed hi minus firmam concludendi rationem sequuntur: cùm electivo regno id demum repugnet, si stirps regia sibi jus vindicet in Regnum; vel in Regis ipsius arbitrio positum sit, quem sibi velit successorem constituere; quomodo inter privatos quoque, patrifamilias conceditur, deficiente successore legitimo, vel existente etiam interdum illo, sibi testamento legere hæredem: qualis olim Regni Francici, atq; sub antiquis Regibus ipsius etiam Germaniæ conditio fuit: quin & in illo divisioni insuper locus erat, quod hæreditariis tantùm Principatibus convenit: in hac stirps

regia

regia per varias vices aliquoties jure ſucceſſorio excuſſa, repetere tamen illud & vindicare ſubinde non deſtitit, donec extincto Friderico II. penitus collaberetur. Nam ante illum quidem uſq; ad Henricum IV. integrũ illud viguiſſe, teſtantur ipſi Rudolphi Suevi ſuffragatores: dum ſancire annitente Pontifice ſunt moliti, *ut Regia poteſtas nulli per hæreditatem, ſicut ante fuit conſuetudo, cederet, ſed filius Regis etiamſi valde dignus per electionem ſpontaneam, non per ſucceſſionis lineam Rex proveniret, ſi verò non eſſet dignus Regis filius, vel ſi nollet eum populus, quem Regem vellet facere, populus haberet in poteſtate:* quæ licet non tam legitima conſtitutio, quam ſeditioſorum hominum contra jus & fas omne, legis ferendæ poteſtatem ſibi arrogantium conſpiratio fuerit: eam tamen, authoritate, niſi fallor, Pontificiæ confirmationis, in Germania opinionem concitavit; ut centum circiter poſt id tempus annis ſub Friderico I. prorſus crederetur *id juris Romani Imperij apex ſibi tanquam ex ſingulari vindicare prærogativâ: videlicet non per ſanguinis propaginem deſcendere, ſed per Principum electionem Reges creare:* ut *Ottonis Friſingenſis* verba habent: quod etiam *Guntherus* carmine complexus eſt:

Bruno de Bell. Sax.

de Geſt. Friderici I. lib. 2. cap. 1.

Ligur. lib. 1

Regibus eſt aliis potiundi jure paterno
Certa fides, ſceptrumq́, patris novus accipit hæres:
Nos, quibus eſt melior libertas, jure vetuſto,
Orba ſuo quoties vacat inclyta Principe ſedes,
Quodlibet arbitrium ſtatuendi Regis habemus.

Iterum tamen hanc rem ad priſtinum ſtatum reducere conatus eſt Henricus VI. ut ex *Chronico Belgico Magno* & *Gobelino Perſona*, *Conringius* refert: & poſt ejus mortem Philippus frater ejusdem, miſſis legatis ad Principes

ad Lampad. III. 2. 4

Germaniæ Andernaci creandi Regis causa congregatos, *effecit ut nulla ibidem celebraretur electio: tum propter sui & quorundam Principum absentiam, tum propter Regiæ generationis non destituendam prosapiam, tum propter juramenta Principum eidem generationi exhibita:* quod *Abbatis Urspergensis* testimonio discimus. Post Friderici II. mortem autem neminem reperio, qui sibi jus hæreditarium ad Imperium vel Regnum Germaniæ competere asseruerit: nisi quod *Albertus Argentinensis* scribit, *Albertum Austriacum, cum Papa contra Regem Franciæ illum instigare vellet, respondisse, se hoc non facturum, nisi sibi & hæredibus suis regnum & Imperium confirmaretur per Sedem.* Sanè à quo tempore Imperatores ad certam formulam Capitulationis adstringi cæperunt, omne jus hæreditarium atque successivum, pro se ac universa stirpe regia solenniter abjurant: sicut ex *Capitulationis Carolinæ Artic. XXVIII.* videri potest: qui in omnium sequentium Imperatorum Capitulationes postea receptus est. Renunciavit autem Carolus juri successorio his verbis: Und insonderheit sollen und wollen Wir uns auch keine Succession oder Erbschafft deß offt ernennten Römischen Reichs anmassen/ unterwinden/ noch in solcher Gestalt unterziehen/ oder darnach trachten/ auff Unsselbst/ Unsere Erben und Nachkommen/ oder auff jemand anderst unterstehen zu wenden: sondern Wir/ dergleichen Unsere Kinder/ Erben und Nachkommenden/ die gemeldten Chur-Fürsten/ ihre Nachkommen und Erben zu jeder zeit bey ihrer freyen Wahl geruhiglichen bleiben/ und gantz ungetrangt lassen. Quo sicut clarissimè demonstratur, sublato omni jure successorio in Imperio nostro, meram & liberam Electionem obtinere. Ita libertati huic Imperij merè electivi nullatenus repugnat, si eligentes

Chronic. in Gest. Philipp. p. 254.

Chronic. p. 111.

non

non jure aliquo ſtirpi Regiæ competente, ſed Reipublicæ utilitate adducti, in eligendo Imperatore ſtirpis Imperatoriæ rationem habeant. quin imò videntur ad hoc pro certo rerum ac temporum ſtatu, ipſa Lege Aureæ Bullæ & vi juramenti Electorij per bonam conſequentiam obligari: ſi nimirum ea rerum & Imperij temporisq; conditio ſit, ut is qui ex Imperatoris defuncti Familia ſupereſt, ſine imminente periculo Reipublicæ præteriri non poſſit, vel ſolus ad tuendam Imperii ſalutem tranquillitatemq; neceſſariis viribus atq; facultate ſit inſtructus: nam talem utiq;, juxta tenorem Aureæ Bullæ *idoneum* maximè habendum eſſe, nemo dubitaverit.

X. In *ſecunda Parte*, A quibus facienda ſit Electio? hodie nulla dubitatio ſupereſt: cum ſatis liquidò conſtet, poſt *Auream Bullam & Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ*, jus & munus iſtud competere *Octoviris Electoribus*, tribus ArchiEpiſcopis, Moguntino, Trevirenſi & Colonienſi, & quinque Principibus Secularibus, Regi Bohemiæ, Ducibus Bavariæ & Saxoniæ, Marchioni Brandenburgenſi, & Comiti Palatino Rheni. Id circa Electores hoſce in diſceptatione maximè poſitum eſt: *quando* & *quo jure* munus iſtud iis cœperit ita proprium eſſe, ut excluſis reliquis, ſoli Germaniæ Regem & Romanum Imperatorem eligerent? Ubi, ne recenſendis aliorum ſententiis inhæreamus, obſervare licet, vetuſtiſſimos rerum Francicarum & Germanicarum Scriptores, *Electionis* nomine non tantùm uti, ad denotandam *veram Regum conſtitutionem*, quæ votis & ſuffragiis eligentium peragitur; ſed etiam *ſolennem illam declarationem* hoc vocabulo deſignare, qua, ut ipſi loqui amant, *Rex in Solio Regni ſublimatur*, populoque

uſitatis inaugurationis cerimoniis exhibetur: unde illos etiam Reges *electos eſſe* dicunt, in quos ipſa Imperii vis non *electionis* propriè ita dictæ, ſed *ſucceſſionis* modo translatum eſt. Eſt autem porrò certiſſimum, in ritu hoc ſolenni celebrando potiores partes primariorum in Regno Epiſcoporum atque Officialium, inde à remotiſſima antiquitate jam fuiſſe. De Francicis Imperatoribus nihil attinet dicere: Ejus verò qui, exſtincto Carolingorum Imperio, primus inter Germanos Imperatoris nomen geſſit, Ottonis videlicet I. inaugurationem ita deſcribit *Witichindus lib. 2. Geſt. Saxon. pag. 16.* ut Coronationem quidem à Moguntino ArchiEpiſcopo peractam teſtetur, ſed ſimul diſertè indicet, tum Trevirenſem & Colonienſem ArchiEpiſcopos ejus conſecrationis honorem ſibi vindicare conatos; tum Ottonem *à Ducibus ac cætero Magiſtratu* in ſolio collocatum fuiſſe. Ne de adminiſtratione ſolennium miniſteriorum in convivio Regio jam dicam. Licet autem præterea certò demonſtrari non poſſit, quando ad ſeptem illos Principes, qui poſtea Electores conſtituti ſunt, hæc officia Aulica & cum iis inauguratio Regia reſtricta ſit: id tamen, quod noſtro inſtituto ſatis eſt, indubia teſtimoniorum fide poteſt adſtrui, eo tempore ſolos hoſce VII. Principes dignatione iſthac jam fuiſſe inſignitos, cum ad conſtituendum per electionem Regem atque Imperatorem Romanum, cæterorum quoque Principum ſuffragia adhuc requirerentur. Quin & ex hoc ipſo, quod rudioribus ſeculis major externæ huic ſolennitati, quam ipſi propriè ita dictæ electioni authoritas tribueretur, & is demum verè Rex haberetur, qui à Principibus iſtis in regno fuiſſet ſublimatus, invaluiſſe paulatim videtur, ut, qui antea ſoli facultatem inaugurandi habuerant,

habuerant, quem universi Principes elegissent, deinceps soli consequerentur eligendi quoque Regis potestatem: concedentibus facilè cæteris Principibus: qui jam pluribus exemplis inducti fuerant, ut universum electionis suæ robur ab inauguratione septem illorum Principum dependere existimarent. Accedente præsertim traditione, artificio potissimùm Romanæ Curiæ disseminata, pridem jam ab Ottone III. fuisse institutum, ut Imperatorem soli septem Officiales Imperii eligerent. Mutationem autem istam post Friderici demum II. tempora contigisse, evidentissimè colligi potest ex *Alberto Stadensi*, coævo Friderici scriptore; qui suis temporibus adhuc jus Electionis inter Officiales & cæteros Principes Imperii ita commune fuisse, ut universi quidem Principes suffragiis suis Regem constituerent, Officiales verò constitutum jam Principum electione, solenniter inaugurarent, testatur his verbis: *Papa Gregorius insolentias Imperatoris contra Ecclesiam metuens, Principes super electione alterius sollicitavit, sed nihil profecit: quia quidam Principum rescripserunt, non esse sui juris Imperatorem substituere, sed tantum electum à Principibus coronare. Electio enim ad ipsos dignoscitur pertinere.* Ex prætaxatione *Principum, &* consensu *eligunt Imperatorem, Trevirensis, Moguntinus, Colonienſis, &c.* Neque aliter sensisse existimo *Authorem Speculi Saxonici*, quem in eadem tempora refert *Conringius*, quando *lib. 3. Art. 57.* ita scripsit: Den Käiser kiesen des Reichs Fürsten/ beyde Pfaffen und Leyen/ die darzu dem ersten an der Wahl benandt sind/ die sollen nicht wehlen nach ihrem Muhtwillen/ wen sie wollen/ sondern welchen die Fürsten alle zu einem König erwehlen/ denselben sollen sie auffs allererst beym Nahmen nennen/ und kiesen. *de Orig. Iur. Germ. cap. 30.*

Quale

Quale autē in hac inauguratione ſingulorum Officialium munus circa illa tempora fuerit, declarat *Jo. de Beka in Chron. p. 78.* de Wilhelmi Hollandiæ Comitis inauguratione ſcribens: *Poſtera die, quæ eſt omnium Sanctorum feſtiva ſolennitas, univerſa multitudo Prælatorum & Principum deduxit electum Regem ad Baſilicam petpetuæ Virginis Mariæ, ut* ſolennem benedictionem acciperet, ſecundū ritum antiquæ conſuetudinis *quem ex tunc Colonienſis Archiepiſcopus, Cancellarius Italiæ collocavit in ſede Majeſtatis; Archi Epiſcopus Moguntinenſis Cancellarius Germaniæ cum oleo ſanctificato dextram ejus foras unxit: Archi Epiſcopus autem Trevirenſis Cancellarius Galliæ, manus illi ſuperimpoſuit. Marchio quidem Brandenburgiæ Regis Camerarius annulum ei tradidit: Dux autem Saxoniæ Regis Juſticiarius donavit ipſi gladium: Dux quidem Bavariæ, Comes Palatij, ſeu dapifer dedit ipſi globum aureum. Rex dehinc Bohemiæ Regis Pincerna de conſenſu Colonienſis Archi Epiſcopi coronam argenteam capiti ejus ſuperimpreſſit;* hanc verò ſolennem benedictionem ſecundum ritum antiquæ conſuetudinis peragi ſolitam, electionis nomine denotatam fuiſſe illius ævi Scriptoribus, patet ex eo, quod *Godefridus Monachus ad Ann.* 1198. ſcribit: *Colonienſem & Trevirenſem Archi Epiſcopos electionem Regis ſui juris eſſe firmaſſe.* quod tum quidem de alio quam inaugurationis jure illos non intellexiſſe inde colligi poteſt, quia eodem tempore cæteros Principes ad conſtituendum Regem, Coloniam evocarunt. Sed & poſtea adhuc uſum iſtum loquendi obtinuiſſe ſequens locus demonſtrat ex *H. Steronis Altahenſis Annalibus ad A. C.* 1298. deſumtus: *Electores Imperij Albertum Ducem Auſtriæ in Regem Romanorum, apud Francenfurt, unanimiter*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [44] - 14
PUBLIC DOMAIN

unanimiter elegerunt. *Hic cùm prædeceſſorem occidiſſet,* electus fuit *Aquisgrani in Regem.* Tametſi verò, ut modo innui, ſub Friderico II. quidem nondum aliud quam conſecrandi Regis jus Officialibus competeret; illo tamen è vivis ſublato, authoritas illorum in ipſa electione, uti jam antea non exigua fuerat, ita ad excludendos reliquos, uſu & conniventia tacitoque cæterorum Principum conſenſu, magis magisq; invaluit, ut qui poſt illum electionis Regiæ meminerunt, jam in ſolidum illam Septemviris hiſce tranſcribere non dubitent. inter eos autem imprimis *Martinus Polonus,* cùm in *Chron. Rom. Imp. Anno* 988. *& ſeqq.* ſcripſiſſet, *licet tres Ottones per ſucceſsionem generis regnaverint, poſt tamen inſtitutum fuiſſe, ut per ſeptem Officiales Imperij Imperator eligeretur,* pluribus errandi occaſionem præbuit, ut vel ab Ottone III, vel ejus tamen tempore inſtitutum fuiſſe traderent, quod *Martinus,* nulla authoris & temporis additâ deſignatione, poſt Ottones tres inſtitutum ſcripſerat: quorum error à *Simone Schardio, Chriſtophoro Gewoldo* aliisque fruſtra propugnatus, ab *Onuphrio Panvinio* aliisque abunde confutatus eſt: fontem verò ejus, quem dixi, indicat etiam *Cardinalis Baronius Annal. Eccleſ. Tom. X. A.C. 996.* Qui ſicut ad confutandum *Bellarminum* Gregorio V. inſtitutionem ſeptem Electorum aſſerentem, ſatis firma argumenta ſuppeditat: ita viciſſim ex *Bellarmino* facile retundi poteſt ejus jactantia: dum gloriatur, *ſeptem Electorum creatio à quonam Romano Pontifice fuerit primitus decreta, & ubi locorum, & qui electi fuerint, certo certius ex Synodalibus Actis in promtu eſſe demonſtrare, ut id tuto affirmari poſſit.* Poſtea verò explendo huic tanto hiatui ſatis habuit

de Translat. Imper. lib. II.

buit produxiſſe *decretum Concilij Lugdunenſis*, quo Dux Auſtriæ, Dux Bavariæ, Dux Saxonum, Dux Brabantiæ, ArchiEpiſcopus Colonienſis, ArchiEpiſcopus Moguntinus, & Salsburgenſis, Electores ſunt conſtituti. Cum tamen ex Scriptoribus, quos producit *Bellarminus*, quosque circa ipſa illa tempora Concilii Lugdunenſis vixiſſe admonet, diſcere potuiſſet, decretum hoc nunquam in Germania receptum, neque Electores in eo recens conſtitutos, Salisburgenſem videlicet, Auſtriacum & Brabantiæ Ducem, pro Electoribus agnitos fuiſſe.

XI. Cæterum de temporibus illis, quibus ab Electione Imperatoris Romani, cæteri Principes excluſi nondum fuerant, veriſſimum eſt, quod contra *Onuphrium Panvinium* aſſeruit *Flacius Illyricus*: *Solis Germanicis Principibus, Pontifice, ejusdem Legatis, ut & cæteris Italis excluſis, eligendi jus competiiſſe.* Neque exempla à *Bellarmino* producta ullo modo ad probandum contrarium valere poſſunt. Nam *Fridericum I.* quem ille ex *Urſpergenſi* ait Henricum Filium ſuum Romani Pontificis electione Regem conſtituiſſe; *ne minimum quidem in electione jus Pontifici competere, conſtanter ſenſiſſe*, apparet ex *Reſponſo* ejus ad Epiſcopos apud *Guntherum in Ligurin. lib. VI.*

de Translat. Imp.

Debita Pontifici faveat reverentia: Regnum
Legibus antiquis, & priſco more regatur:
Cujus ab æterno tantùm collatio Regi
Provenit: ad Proceres Electio pertinet, in qua
Præcipuam vocem Præſul de jure vetuſto
Moguntinus habet: Paſtori prima recentis
Agrippinæ tuo conceditur unctio Regis.
Impery nitidam ſummo ſacrare coronam

Pontificī

Pontifici jus est; ut vero nomine possit
Non dator Imperij sed confirmator haberi.

Add. *Radevic. de Gest. Friderici I*, 16. Neque validius argumentum est, quo in Electione Lotharii Saxonis Legatum Apostolicum suffragium tulisse colligit, quod illum *Continuator Sigeberti* scribat *in consultationem admissum*, tandemque subjiciat: *Lotharium omnium consensu electum*, ubi nemo non videt, quæ sit inter suffragium & consensum diversitas; quodque insuper hic ipse consensus de iis intelligi debeat, qui eligendi jus habuerunt: quod ad exemplum Conradi etiam notandum: cujus electioni quid addiderit, vel Nuncii Apostolici præsentia, vel populi Romani assensus pronum est judicare. Nam Friderici quidem I. electioni, quo nomine consilioque interfuerint Italiæ Barones, declarat *Guntherus Ligurin. lib.* I.

Nec minus ex Italis multos & gente Latina
Traxerat huc rerum miratrix fama novarum,
Concilium, Regemq; novum, faciesq; verendas
Aspexisse Dueum, famosaq; nomina nosse
Optabant, populisq; suis exacta referre.

Quomodo tempore Ludovici Bavari, postulata Pontificis, ac si Electionis authoritas à Papali coronatione dependeret, retusa sint, cognosci potest ex decretis, quæ tum publicata sunt: apud *Freher. Script. Rer. Germ. Tom. I. p.* 426.

XII. Quod ad partem tertiam attinet, **modum** scilicet **Electionis** faciendæ, est ille tum Caroli IV. Aurea Bulla, tum exemplorum illustrium observatione uberrimè jam ab aliis descriptus: unde pro instituti

modo aliqua excerpemus. Inter cætera itaque, quæ
Cap. 28. §. 5. ex diuturna obſervantia Carolus IV. in legem ſcriptam tranſtulit, etiam hoc eſt, quod *ex clariſſimis relationibus & traditionibus antiquorum, illud à tempore, cujus non habetur memoria per eos, qui præceſſerant, feliciter eſſe obſervatum*, notat, *ut Regis Romanorum futuri Imperatoris in civitate Francofurt celebraretur electio, idque etiam futuris temporibus ſervari debere* declarat, *niſi impedimentum obviaret*. Neque fefellerant eum certè illi, ex quorum relationibus hoc didiciſſe ſe profitetur. Licet enim alibi etiam electorum exempla obvia eſſent: illa tamen peculiaribus cauſis atque impedimentis innixa, exiſtimare facile potuit, & invaluiſſe utique tum opinionem, ut non alibi vetuſto mori ſatisfieri poſſe crederetur, proprio exemplo edoctus eſt Carolus; cujus electioni hoc etiam nomine tum contradictum eſt, quod non eſſet loco ſolenni peracta. Quod verò *Mutius* tra-
lib. 14. pag. 107. dit *Ottonem III. in frequentibus Comitiis Principum decreviſſe, ut perpetuò Francofurti eligeretur Imperator*; id eodem modo, quo cætera de illa conſtitutione Ottonis omnia, confictum reor. An verò & alterum illud explodendum erit, quod alibi refert *Mutius*: *Guntherum*
lib. 25. p. 247. *Svvarzeburgicum contra Carolum IV. electum, ex conſuetudine & ſtatuta lege ſex totas hebdomadas in caſtris ad Francofordiam expectaſſe hoſtem?* equidem videtur is ſe-
A. C. 1349. cutus *Albertum Argentinenſem*, ſatis aliàs fide dignum de illis temporibus teſtem: cujus hæc ſunt de iſta re verba: *Cumque Guntherus per ſex hebdomadas jacuiſſet in campis Francfurt, more Regio per eandem civitatem eſt receptus.* quo quidem ſi reſpexit *Mutius*, aliâ diſtinctione horum verborum uſus eſt; hoc fortaſſe modo legens: *Cumq; Guntherus*

Guntherus per sex hebdomadas jacuisset in campis Francofurt more Regio, per eandem civitatem est receptus. Sanè *Limnæus* ex Chronicis Hassiacis idem refert. *Lehmannus* verò, *neque ante Carolum, neque postea in ulla Electorum Imperatorum controversia, hoc usurpatum* contendit. Verùm is vel non cogitavit, vel itidem pro confecto habuit, id quod de Ruperto contra Wenceslaum electo Imperatore annotat *Author Chronici Belgici Magni* his verbis: *Rupertus electus in Regem post electionem suam in mense Septembri juxta oppidum Francofordiæ tentoriis fixis in campo unà cum Principibus per septimanas & dies, prout electis ad Regnum moris est, sub dio moram traxit, & tandem oppidum festivis gaudiis intrat.* Aureæ Bullæ dispositionē quod attinet, scribit *Hartmannus Maurus de Coronat. Caroli V.* ea quæ de Electionis loco statuerat Carolus IV. contrariâ sanctione A. C. 1363. palam iterum rescidisse. & nolim quidem Mauri fidem quoad hanc narrationem in dubium vocare: interim exemplis quibus Aureæ Bullæ dispositionem in usum deductam docet *Arumæus ad A. Bull. disc. 1. thes. 35.* moveor, ut existimem, hanc contrariam sanctionem vel receptam non esse, vel eo tantum valuisse, ut exceptionem legitimi impedimenti, in ipsa quoque A. B. comprehensam sive declararet, sive confirmaret.

I. P. II, 3.
Chron. Spirens. VII. 34
A. C. 1400.

XIII. Quæ antecedant electionem, quæque sequantur, persequi nihil attinet. In electione ipsa plurimùm sine dubio momenti habet, quod *jurato* illa peragitur; idque *tum* ratione juramenti quod Electores, *tum* ratione juramenti, quod eligendus præstat. Illud quod attinet, fatetur doctissimus *Conringius, maximè salutarem esse legem Aureæ Bullæ hac in re: quandoquidem*

Ad Lamp. III, 2, 23.

indicat, ſpectatum iri in electione bonum publicum: Cæterum *Idem* putat, *olim quidem jurato factam electionem non eſſe*: *neque ullum Sacramenti ab Electoribus præſtiti in omnibus antiquis Germaniæ noſtræ monumentis inveniri veſtigium*. Fortè tamen Scriptorum vitio magis factum eſt, ut præſtiti talis juramenti memoria diſtinctius liquidiusque tradita non extaret: quam quod penitus omiſſum ſit juramentum. Parùm certè abeſt, quin exiſtimem, *Joh. de Beka* de tali juramento, quale ex Aureæ Bullæ præſcripto præſtant Electores, ſenſiſſe, quando in eligendo Wilhelmo, dicit, *Electores eſſe proteſtatos, ipſum potentiorem eſſe Principem in Regno Germaniæ*. Magis verò me movet, ut ita ſentiam, *Scriptor Chronici Colmarienſis*, candidus equidem & verax, ſed rebus diſtinctè rotundeque enuntiandis parùm aptus: qui Electionem *Alberti Auſtriaci* hoc modo deſcribit: *Vigilia Joannis Baptiſtæ tres Electores Regis Romanorum, Moguntinus, Brandeburgenſis, & Saxo, Moguntiæ convenerunt, campanas compulſaverunt, populum convocaverunt, quædam quæ fecerunt, quædam facienda fideliter retulerunt. Aſcenderunt igitur in Eccleſiam, facies ſuas vertentes ad altare, manus ſuas elevaverunt, per Deum viventem juraverunt; quod cùm ante ſex annos Regnum Rege caruerit Romanorum, nos Electores tres, ex parte noſtra & ex parte reliquorum Electorum, qui in nos eligendi vota ſua tranſtulerunt, jure ac canonicè Adolphum de Naſſau, tunc non cognoſcentes meliorem in Regem elegimus Romanorum*: & enumeratis cauſis deſtitutionis, *nunc authoritate nobis commiſſa, Adolphum Regem abſolvimus à regiminis dignitate & Dominum Albertum Ducem Auſtriæ, in Dominum & Regem eligimus Romanorum, & poteſtate tradita nobis ſimiliter, confirmamus*. In quibus juramenti quidem formulam quam præceſſiſſe neceſſa-

p. 76.

rium

rium est, ita cùm destitutionis & electionis formulis permixtam cernere licet, ut hæ quidem illam penitus absorpserint: distinctam autem reapse fuisse dubitari vix potest.

XIV. Juramentum quod ab Eligendo præstatur, variis de *Capitulationum origine* disputationibus atque conjecturis locum fecit: sicut videri potest, apud *Carpzovium de Leg. Reg. German. cap. 1. sect. 8.* qui tempore Conradi I. Capitulationem Cæsaream natam esse pronuntiat. Est autem meo quidem judicio præclarè admodùm à *Conringio* observatum: *cum in Germania nostra Regum potestas semper fuerit κατὰ νόμον, seu legitima, non infinita, non simpliciter libera, indubiè nunquam non admissos esse Reges in certas leges: Nullo autem indicio colligi posse, sigillatim illas quondam verbis distertis expressas, multò minus esse scriptas, vel novatas. Per igitur esse verosimile, si non semper saltem ordinariè Reges in observantiam duntaxat aliquam communem legum & consuetudinum receptarum creatos esse.* Adjicit deinde Leges Rudolpho Suevo præscriptas, tum juramentum ab Ottone IV. præstitum, quidque de Capitulatione in ipsa Caroli IV. Bulla Aurea sit constitutum. cujus egregiè traditis, operæ pretium fuerit isthæc pauca adjicere. Videri initio Capitulationis locum & instar aliquod obtinuisse illas admonitiones solennes, quæ in Regum ac Imperatorum inaugurationibus ad illos fiebant, & ad quas aliquando etiam juramento adstrictos eos legimus. Exempla illustriora habemus in coronatione Ludovici Pii apud *Theganum de Gest. Ludov. Pij cap. 6.* ubi postquam Pater Carolus Filium de variis ad Rempubl. regendam pertinentibus admonuisset, ac peculiariter quidem

Add. ad Lampad. pag. 125.

quidem, *ut Eccleſias Dei defenderet, Sacerdotes honoraret ut Patres, Populum diligeret ut Filios; fideles miniſtros & Deum timentes conſtitueret, nullum ab honore ſuo ſine cauſa diſcretionis ejiceret, ſemet ipſum coram DEO & populo irreprehenſibilem demonſtraret; interrogavit eum coram multitudine, ſi obediens eſſe voluiſſet præceptis ſuis? At ille reſpondit: Libenter obedire, & cum DEI adjutorio omnia præcepta, quæ mandaverat ei Pater, cuſtodire.* Quibus quidem verbis juramenti formulam deſignare voluiſſe *Theganum*, apparet ex *actis Exauctorationis*, ejusdem Ludovici *art.* 1. ubi inprimis illi objicitur, *quod reatum ſacrilegij incurrerit, eo quod paternam commonitionem, & terribilem conteſtationem ſub Divina invocatione ante Sacrum altare, in præſentia Sacerdotum, & maxima populi multitudine ſibi factam ſecundum ſuam promiſſionem non conſervaviſſet.* In coronatione Ottonis I. apud *Witichindum lib.* 2. *p.* 16. Conradi Salici apud *Wipponem in vita ejus.* Wilhelmi Hollandi apud *Jo. de Beka Chron. p.* 78. Atque hoc quidem modo, ſicut in Germania ſua ſe vel admoneri vel adſtringi Reges noſtri facile paſſi ſunt, ita memoratu dignum eſt, quid Romanis, aliquam veluti Capitulationis formulam ipſi præſcribentibus reſponderit Fridericus I. *Proponis*, inquit ille apud *Ottonem Friſingenſem de Geſt. Friderici II.* 21. *trium Sacramentorum exactionem, dicis, me debere jurare, ut leges Anteceſſorum meorum Imperatorum, eorum privilegiis tibi firmatas, & bonas conſuetudines tuas obſervem: apponis etiam, quod Patriæ, uſq; ad periculum capitis, tuitionem jurem. Ad iſta duo ſimul reſpondeo: Ea quæ poſtulas, aut juſta ſunt, aut injuſta: ſi injuſta ſunt, nec tuum eſt poſtulare, nec meum eſt concedere. Si juſta recognoſco, me hæc & debendo velle, & volendo debere. quare ſuperfluum erit, voluntario debito, & debi-*

ap. Andr. du Cheſn. Tom. II. p. 333.

& debitæ voluntati juramentum apponere. Affirmas pro pecunia quadam juramentum præstari à mea debere persona. Proh nefas! à tuo Roma exigis Principe, quod quilibet lixa exigere deberet ab institore. A captivis hæc penes nos exiguntur.

XV. In recentioribus controversiis, quarum historiam exhibet *Author* der Grundveste des Heil. Röm. Reichs *part.* 3. *cap.* 3. & supplet *Balthasar Venator in Ominosa rerum serie*; disputatum etiam constat: *An Capitulatio sit pars Electionis?* Neque parum certè favet affirmantibus, quod ex *Sleidano* & *Julio Pflugio* notat *Hortlederus*, *id quod agunt in eligendo Imperatore Septemviri, ante ratum non haberi, quam leges in Capitulatione comprehensas designatus Imperator accipiat, juramento confirmet, fidemq; det Electoribus, interpositâ cautione scripta, ab iis nullo se modo recessurum.* Quo haud dubiè in Electione Leopoldina spectavit, quod Capitulationis formula destinato Imperatori exhibita est, ut de illa accipienda deliberaret, antequam ipsa solennis Electio perageretur. *ap. Goldast in Pol. Imp.*

XVI. Cæterum sicut omnibus consociationibus hoc commune est, notante *Grotio*, ut in iis rebus, ob quas consociatio quæque instituta est, *pars major* nomine universitatis obliget singulos, qui sunt in societate: Ita in Collegio Electorali quoque pridem antequam Carolus IV. id expressâ lege sanxisset, obtinuit, ut is pro Imperatore haberetur, quem major pars Electorum elegisset. Imò antequam ad septenarium numerum restricta esset facultas eligendi, in universis Principibus majoris partis ratio habebatur, ut ex Electione Conradi Salici apparet: in qua cum inter duos Conrados ambige- *de I. B. II. c. 6. 17.*

bigeretur; *ad extremum*, ut Wipponis verba habent, *ipsi inter se convenerunt quod amplectio in tam dubia re satis convenienti, ut si quem illorum major pars populi laudaret, alter eidem sine mora cederet.* Eandem judicandi formam antea jam secutus fuerat Heribertus ArchiEpiscopus Colonienſis, cum Ottone III. mortuo, Henricus Bavarus Imperium ambiret: is enim, referente *Dithmaro Chron. lib. 4. p. 44. Duci tunc non consentiebat, neq; omninò denegabat, sed quo melior & major populi totius pars se inclinaret, libenter assensurum pronuntiabat.* Quod verò Electorale Collegium attinet, jam tum A. C. 1339. non dubitarunt Electores ipsi in Literis suis ad Benedictum XII. Pontificem apud *Freherum Scriptorum Germ. Tom. 1. p. 427.* asserere: *jure cautum, & consuetudine, cujus contrarium memoria hominum existeret, rationabiliter esse introductum, & sine cujusvis contradictione legitimè observatum: quod vacante Romano Imperio is qui eligeretur concorditer, vel à majori parte Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus esset habendus.*

XVII. Quod verò hic disputant *Interpretes Aureæ Bullæ: an jus eligendi Imperatoris Electores ut singulos, an verò ut universos spectet?* tum *an id, quod dictum est de majori parte, intelligendum sit cum respectu ad universum collegium eligentium, an verò cum respectu ad concurrentes?* uti aliqui statum hujus quæstionis formant, vel ut alii: *Utrum major pars respectu Collegij, aut eligentium putanda sit?* Illud utrumque ex historia præcedentium turbarum optimè puto explicari posse: quibus intendisse oculos curamque videtur Carolus, ut in posterum similes motus averteret. Potissimùm autem fomitem discordiæ inter Electores præbuerat, quod existimarent Electores,

Electores, sibi ut singulis eligendi Imperatoris jus competere, sicut imprimis apparuit in discordi Electione Ludovici Bavari, & Friderici Austriaci; de qua notat *Albertus Argentinensis A. C.* 1314. *Principes Electores non convenisse, sed quemq. in suo exercitu, per se vel per suum procuratorem elegisse, & in suis exercitibus publicasse.* Idem *Henricus* quoque *Stero Altahensis A. C.* 1313. tradit his verbis: *Principes ad præficiendum Monarcham, cœlitùs constituti, contentiosè eligentes, quidam in Franckenfurt, aliqui per literas, aliqui in locis sibi competentibus, & sic discordantes in duas partes, una elegit Fridericum, altera Ludovicum.* Et quod ad definiendam alteram dubitationem pertinet, trium Imperatorum contra Carolum Electorum exemplo patere potuit, quam exposita esset dissensionibus turbisque electio, nisi talis aliqua norma præscriberetur, quæ ipsam quoque consultationem de Imperatore eligendo ad pauciſſimos, quam fieri potest, competitores deduceret: quod utique præstari hac ratione apertum est, si illi demum spes ad Imperium & aditus relinquatur apertus, qui pluribus, totius Collegii respectu, suffragiis designatur: Tum enim si ab initio vota per plures æmulos distrahantur, illa, ipso secundum legis præscriptum institutæ deliberationis progressu, non ut quidam existimant, ad irritum recident, sed ad duos competitores restringentur: è quibus is ad Imperiale culmen evehetur, quem jam citra ambages ullas, major pars totius Collegii Electoralis idoneum maximè pronuntiaverit: sicut factum est durante adhuc pristino Electionis more, cum Conradus Salicus eligeretur: tum enim, *postquam diu certatum esset, quis regnare deberet; cumque,* ut describit *Wippo vit. Conrad. Salic. p.* 424. *Alium ætas, vel nimis immatura, vel citra*

modum provecta: alium virtus inexplorata: quosdam insolentiæ causa manifesta recusaret: inter multos electi sunt pauci: & de paucis admodum duo sequestrati sunt, in quibus examen extremum summorum virorum summa diligentia diu deliberatum, in unitatis puncto tandem quievit: postquam scilicet convenisset, *ut si quem illorum duorum major pars laudaret, alter eidem sine mora cederet:* quod ibidem *Wippo* indicat. Add. *Buxtorff. ad Aur. B. cap. 2. thes. 35.*

XVIII. Supereſt, ut admoneamus, quomodo hæc univerſa conſtituendi Imperatoris ratio ipſi formæ Reipublicæ noſtræ vel ex ſe conveniat, vel hactenus legibus uſuque atque ipſorum etiam Electorum prudentia ſit accommodata? Ubi licet I. certiſſimum quidem ſit, modum conſtituendi Principis à forma Reipublicæ, vel hanc ab illo per cauſalem nexum non dependere; neq; ibi electionem ſemper obtinere, ubi legibus adſtrictum, vel ſucceſſionem, ubi abſolutum regimen viget: attamen id quoque in confeſſo eſt, electionem Statui, in quo nec omnis nec abſoluta poteſtas penes Imperatorem eſt ſolum, ſed in quo libertas & poteſtas Ordinum admixta eſt Imperatoriæ Majeſtati, convenientiſſimum eſſe: *minus enim*, ut cum *Lipſio* loquar, *ſervilis eſt hæc ſpecies*, &, quæ *Taciti* verba ſunt, *loco libertatis erit, quod eligi incepimus.* quod *Guntherus* etiam confirmat verbis ſuperius adductis.

2. *Pol. 4, 13.* 3. *Hiſtor. 16, 2.*

Nos quibus eſt melior libertas, jure vetuſto
Quodlibet arbitrium ſtatuendi Regis habemus.

II. *Putat*

II. Putat *Bodinus de Rep. VI,5.* inter præcipua incommoda Electionis etiam istud esse, quod necesse sit aut peregrinum Regem creari, aut Civem: si peregrinus creetur, maxima regno pericula imminere: sin civibus pateat aditus, impudentissimum ac ferocissimum quemque per fas & nefas principatum ambiturum: si plures æquâ potestate & gratia valeant, populum in factiones distracturos esse. At in Germania nostra utrumq; periculum arcet mos patrius: dum & exteros excludit ab Imperiali fastigio; & è civibus non nisi ex illustri stirpe natos, nec hos quidem aliter, quam si majori Electorum parti idonei videantur, admittit III. eademque ratione, qua non nisi illustri stirpe genitus ad Imperium admittitur, illud etiam, quod electioni adscribit *Bodinus*, incommodum avertitur: quod nimirum, qui ex humili & obscuro loco nati sunt, si ad Imperium provehantur, animos attollant, & tyrannidem crudelius exerceant, quam qui regali sanguine sunt creti. quanquam huic suspicioni, & illa *Guntheri* validè reponi possint, ex *Ligurin. lib. I.*

Nam quod summa probos mutare potentia mores
Dicitur, ex alia sumtum magis æstimo causâ:
Si quis forte sibi perversæ conscius artis,
Ingenijq; mali, tacitus captator honoris
Tempore dissimulat: cum quod cupiebat adeptus
In vitium moresq; redit: mutasse videntur,
Immeritiq; hominem violasse putantur honores,
Quos magis ille malo corrumpit & inquinat usu.

IV. Existimat idem *Bodinus* Electivum Regem, si Regnum penitus in patrimonium suum redigere nequeat, attamen sibi ex domo successorem ereptis optima-

tum ſuffragiis deſignaturum. Verùm hoc ne facere Imperator Germanicus poſſit, *Capitulatione*, cujus formulam ſupra exhibuimus, ſatis prohibetur. V. Sicut & adverſus illud, quod graviſſimum in omni aliàs Regno electivo periculum eſt, ut in incerto vagabunda electio varii generis turbas cruentiſſimosque motus excitet, Electorum prudentiâ egregiam cautionem medelamque adhibitam, dum in eligendo Imperatore pridem ſtirpis Regiæ rationem habere conſueverunt, evi-
Ad Lamp. part. 3. c. 2. §. 4. p. 111. dentiſſimis graviſſimisque rationibus *Conringius* jam demonſtravit. VI. Quemadmodum *Bodinus* ipſe fatetur, magno Germaniæ commodo eligendi Imperatoris facultatem à pluribus ad pauciores eſſe translatam reſtrictamque. Ita quod VII. Diſſentiui tamen inter hos locum eſſe ait, ad bellum facile erupturo; illi, ſtabilito per Auream Bullam jure majoris partis, obviam ſatis felici ſucceſſu itum eſt; niſi quatenus inſtituto per Tabulas pacis Weſtphalicæ, Octavo Electoratu, paribus ſuffragiis, adeoque diſſenſui forte non adeò facile explicabili via eſt aperta. VIII. Corruptelis verò varii generis, ſanctitas juramenti Electorii obicem ponit. IX. Interregni verò pericula conſtitutus Aureâ Bullâ Vicariatus, & electionis peragendæ tempus arctioribus limitibus circumſcriptum prohibet. Perinde uti X. Capitulationibus Cæſareis ſatis abundeque proſpectum eſt, ne, quod itidem inter incommoda Electitii ſtatus refert *Bodinus*, Imperator vel res Imperii ſegniter curet; vel pro lubitu Imperio ſua commoda ſubtrahat; vel denique ipſas Imperii provincias alie-
Argen. lib. I. net. Quæ adverſus *Barclajum* etiam aliosque, qui electionem Germanicam vel traducunt, vel animoſius impu-

impugnant, eo valere poterunt, ut hinc perſpiciant: ſicut non quævis electio omnium populorum ingeniis, vel cuivis regiminis formæ convenit; ita poſſe tamen electionem ad certæ alicujus Gentis Reipublicæve habitum ſtatumque legibus & cautionibus attemperari accommodarique, ut non minorem illi in tuenda publicâ ſalute tranquillitateque uſum, quam aliis nationibus Regnisve ſucceſſio, præſtet.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [59] - 29
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [60] - -
PUBLIC DOMAIN

3.

C. B. D.

De

VNITATE REIPVBLICAE IN S. ROMANO IMPERIO.

§. 1.

SI omninò extra reprehensionem consistit illorum institutum, ut potius egregii civis munia expleviſſe censeri debeant, quicunque *Statum Reipublicæ, qui quoquo tempore sit*, deficientem quoq;, *defendere*, omnibus viribus connituntur, haud dubiè indulgentior aut certè minus acris censura eorum adhibenda est operæ, qui confutandis, non tam veris, quam in opprobrium veluti publicum confictis, Reipublicæ malis atque aberrationibus, quibus, legum fundamentalium cavillatione prostitutione ve, inquietos ac pernicioſos cives, quales nunquam ferè Rebuspublicis desunt, easdem onerare videas, industriâ intendere maluerunt, etiamsi conatus per se laudabiles aliquando in re præsenti succeſſus ferè deseruerit. hujus certè fiduciæ nonnihil sibi etiam applicat noſtra *Dissertatio*, quæ sicut prima tantum lineamenta signare profitetur, unde *Reipublicæ noſtræ unitas* cognoscenda dijudicandaque sit, ita perfectam hujus argumenti ela-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [61] - 1
PUBLIC DOMAIN

boratione m à juvene neminem vel expectâsse vel requisivisse facile speramus, cujus difficultatem Viri usu rerum exercitati, demum paulò interius perspicere valent. In universum propositi nostri mensuram implevisse arbitrabimur, si aliqualium profectuum, in eo præsertim studio, quod *Notitiam & Constitutionẽ status publici* complectitur, sub disciplina *Ampliss. Dn. Præsidis, Præceptoris nostri uti fidelissimi, ita nunquam sine honoris præfatione nominandi*, hactenus factorum, rationem reddiderimus illis, quibus in eos inquirendi jus est. Clarius id faciemus, si præsentem tractationem in certas redigamus *partes*, ut I. inquiramus *in fundamenta, ex quibus in genere Reipublicæ alicujus unitas æstimanda est*, eaque II. ad *Rempublicam Imperij nostri* applicemus, & denique III. *quæ in contrarium tendere videntur*, removeamus.

§. II. Quid *Unitas*, vel *unum in genere* sit, ex principiis Philosophiæ universalis repetendum erit. *Aristoteles* postquam varios modos *unius* recensuisset, ad rationem communem singulos reduxisse deprehenditur, quando ait: καθόλυ δὲ, ὅσα μὴ ἔχει διαίρεσιν, ἢ μὴ ἔχει τάυτῃ ἓν λέγεται: *universaliter enim quotcunque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur.* V. Met, 6. particula reduplicativa respectum aliquem importat, pro cujus diversitate, diversam quoque æstimationem sortitur ipsa *unitatis* ratio, unde variæ distinctiones, quas vulgares Metaphysicorum libelli exhibent, subnatæ sunt. Nobis *Unitas*, quam *formalem* vel *essentialem* dicunt, potissimum respicienda est, *quâ aliquid indivisum est in se ratione formæ ac essentiæ sibi unicè competentis*; hâc unitate una sunt entia non solum *simplicia*, sed & *composita corpora*

corpora, tam *naturalia*, quam *moralia*, adeoque & illa, quæ ſecundum diſciplinam Stoicorum *ex diſtantibus conſtare*, dixit *Pomponius*, quæque recentiores philoſophi *aggregata cum ordine* appellarent, in quantum nimirum *indiviſionem participant*, ut loquitur *Alexander ab Ales*, ſive, *non ſoluta, ſed uni nomini ſubjecta ſunt*, ut JCtus indiviſionem iſtam ſpecialius explicat. Aliàs maximè ratio unitatis variat, atque ipſe jam obſervavit *Philoſophus*, *magis unum eſſe quod naturâ, quam quod arte eſt unitum*, & inter hæc poſteriora reperiri *unitatis gradus* pridem *Suarezius* annotavit; quod non attendunt, quicunque corporibus illis, quæ ad arctiſſimam unitatem aſſurgere non patitur rerum humanarum indoles, ſubinde omnem unitatis modum denegant, ſicut conſociatis cœtibus, & ipſi quoque *Reipublicæ* aliquando accidiſſe videas.

l. 30. pr. de vſurp. & vſucap. *Comment. ad V. Met. Ariſt. ſ. 116. lit. M.* *V. Met. 6.* *Diſp. Met. 4. ſ. 3. n. 14.*

§. III. Reipublicæ autem voce hìc non abutimur, ad denotandum *qualecunq; corpus civile neminem alium in terris ſuperiorem agnoſcens*, quo ſenſu etiam ſyſtemata ſociorum, arctiſſimo fœdere unius civitatis naturam imitantia, Reipublicæ titulum ſibi præſcripſiſſe, exempla vetera & recentia, qualia *Bodinus* conduxit plura, teſtantur. Sed ad ſignificatum proprium reſpicimus, quo cum *Civitate* ac *populo libero* permiſcetur, ut nihil aliud ſit, quam *cœtus perfectus liberorum hominum Juris fruendi cauſa communi Imperio ſociatus*. quomodo & Regnum Hiſpanicum, Gallicum & ſimilia ſui juris Imperia appellationem Reip. ſuſtinent.

de Rep. l. 1. *vid. Grot. de I. B. & P. I, 1, 14.* *add. I, 3, 7. & III, 3, 2.* *& Bæcler. Inſt. Pol. 1, 6. p. 66.*

§. IV. Cæterum ſicut cujuslibet rei, ita etiam Reipublicæ unitas, ex unitate eſſentiæ unicè æſtimari debet. *Eſſentia* autem Reip. ut ſic, conſiſtit in conſocia-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [63] - 3
PUBLIC DOMAIN

tione vitæ civilis plenâ, cujus principium *materiale*, ſi doctrinæ cauſa in ſcholis ita nobis loqui licet, eſt *cœtus juris fruendi cauſa ſociatus*, *formale* autem cœtus illius civilis conſtitutio ac *ordo in imperando parendoque conſiſtens*; quemadmodum igitur ex corpore organico, animaque rationali una, unus homo conſtituitur: ita & ex corpore civili, una Majeſtate informato, unam reſultare Rempublicam neceſſe eſt, quocunque demum regimine, regione, plurium an multitudinis, an ex his mixto adminiſtretur, quæ accidentales ſolummodo formæ ſunt: nam *ſpiritum* vel *animam* & *corpus*, ex analogia rerum naturalium ad illuſtrationem hujus argumenti revocari videmus apud *Grotium*, & alios. Quæ comparatio in ſe ſpectata bona eſt, & veteribus quoque uſurpata, ſed applicatione ſcriptorum in re præſenti ſæpè corrumpitur, quando quæ ipſi Majeſtati, quatenus in ſubjecto *communi*, ut *Grotius*, vel *eſſentiæ*, ut *Lampadius* loquitur, tribuenda erant, ad ſubjectum ejusdem *accidentale* referunt, ſpecimen habemus in *Diſſertatione de Rep. Irregulari*, quam pro defenſione *Monzambani* adornavit *Cl. Puffendorffius*.

de l. B. & P. II, 9, 3.

I, 3, 7. de Rep. R. G. p. 1. §. 59 63. §. 5. & 20.

§. V. Omnis autem Respublica eatenus una manet, quatenus *indiviſionem eſſentiæ* conſervat, hoc eſt, quatenus Majeſtatem integram ac indivulſam retinet, quam I. non tollit *diverſitas partium*, in quas pro varia ratione civilis adminiſtrationis, *intellectu magis quam corpore*, ut cum *JCto* loquar, dividitur. vid. *Pufendorfius*: neque II. iſta periclitatur per *translationem Jurium Majeſtatis in diverſa ſubjecta accidentalia*, unde *mixtura* ſolum oritur, & *ſimplicitas*, non autem *unitas* Reip. tollitur, quod egregiè demonſtrarunt *Grotius* inprimis atq; *Lampadius*.

l. 5. de ſtip. ſerv.

de I. N. & G. VII, 4, 1.

de l. B. & P. I, 3. 17.

Lampadius. nã quod post *Bodin*. atq; *Hobbesiũ Cl. Pufendorf*. objicit, *tantã esse inter omnes partes summi Imperij conjunctionẽ, ut una ab altera non possit avelli, nisi regularis forma corrumpatur, & morbidũ corpus resultet*, valide exauditur, si de summo Imperio ratione formæ suæ, prout in subjecto essentiali & communi existit, accipiatur: quamprimum enim vel unicum jus communicatur cum alia Rep. aut transit in aliud subjectum essentiæ, illa Majestas, cui aufertur, interit, & corpus, cui inhæsit, non tantum *quoad regularem civitatis formam* corrumpitur, sed omninò inter perfectas Respublicas censeri desinit, quod post bellum Punicum secundum Carthaginiensibus, amisso jure belli, contigisse notum est. *Deinde* propter *incommoda*, quæ hanc partitionem comitari *Puffendorffius* existimat, ad ipsum talem Reip. Statum negandum extendi nõ debent; *de summa enim potestate judicandum non ex eo, quod privatus quisq; optimũ judicat, sed ex voluntate ejus, unde jus oritur*. ne dicã illa incommoda, quæ formis mixtis in genere adhærere possunt, sæpè in applicatione ad hanc vel illam gentem, ultrò evanescere, vel per leges fundamentales, ne se exserere possint, præcaveri. Certè abusus jurium eorundem partitioni imputari non debet, nisi distinctionem inter *vitia hominum* & *vitia status*, *alibi* inculcatam, *ipse* deserere velit. sed de his aliàs. Non etiam destruitur illa indivisio III. si membra nobiliora, ex quibus Respublica concinnatur, certas provincias proprio jure administrent, ita ut de reditibus constituere, ipsisque incolis leges veluti peculiares præscribere possint, nam & in domo paterfamilias dominii vi circa res suas pro arbitrio disponit, atque illis, quos in potestate sua habet, per modum legis

de Rep. R. G. p. 1. §. 60. 61. *de I. N. & G. VII. 4. 11. conf. Diss. super gest. Philip. Amyntæ F. §. 3. seq.*

Grot. de I. B. & P. I. 3. 17.

de I. N. & G. VII. 5. 10.

gis, quid faciendum, præscribere, sæpè etiam jus vitæ ac necis in eos exercere potest, & notum est, quomodo aliàs privatorum voluntas, conventionibus invicem initis declarata, in legem ire possit, in publicis quoque judiciis valituram, sicut in Rep. Rom. expressa vox Prætoris erat: *pacta, conventa, quæ neque dolo malo, neque adversus leges, Plebiscita, SCta, edicta Principum, neque quo fraus cui fiat, facta erunt, servabo.* Absurdus autem foret, qui ideò facultatem legislatoriam geminare, & consequenter Rempubl. multiplicare vellet. Quod si quis dicat dispositiones privatorum circa bona ac possessiones suas restringi per Imperium Civitatis, cui jus quoddam majus & supereminens, in nos & nostra competit, utilitatis necessitatisque publicæ causa exercendum, pacta autem privatorum, quod sæpè vim legis habeant, non esse à jure & facultate privati, sed à summa potestate, unde effectus iste dependeat; respondebo, hæc etiam ad ditiones istas, de quibus loquimur, earumque Rectores pertinere, nam ad hos quoque illud *Senecæ* applicari debet: *Omnia Rex,* (civitas, quacunque regiminis forma utatur) *imperio possidet, singuli dominio,* hoc est, illi jus suum ad finem ditionum regendarum restrictum ita tuentur, ut supremo juri Imperii aliquando debitos intra limites cedere jubeantur. quanquam enim provinciæ istæ per se consideratæ, civitatis quandam speciem habent, earumque Rectores in relatione ad sibi subjectos egregiâ præfulgent potestate, quamprimum tamen ad universum Imperium illa comparatio terminatur, tum istæ eam incipiunt habere rationem, quam domus habet ad civitatem, & horum quantacunque est authoritas, absorbetur atque exspirat, vel, ut cum *JCto* loquar, *privatorum loco habentur.* quod ὑπαλλήλοις potestatibus commu-

l. 7. §. 7. D. de pact.

de Benef. VII, 5.

l. 15. D de V. S.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [66] - 6
PUBLIC DOMAIN

commune esse *Grotius* demonstrat. Cæterùm quia à voluntate eorum, qui civitati formam accidentalem accommodare jus habent, suspenditur, qualem potestatum subordinationem instituere, aut progressu temporis ortam legibus publicis formare ac instruere velint, mirum non est, quando in una interdum Republ. potestas, *summæ proxima*, deprehendatur, quæ ipsam summam potestatem apud imperitos mentiatur, eosque ut plures sibi perfectas Respublicas concipiant, seducat. quod in *Imperio Romano* de *superioritate territoriali* pronuntiari potest. *de I. B. & P. I, 4, 6.*

§. VI. Quemadmodum autem hæc non tollunt *unam Rempublicam*, ita eandem non efficiunt I. si plures populi diversi sub uno capite uniantur, ita ut illa unio non in communitate juris, sed in sola persona Regis aut ejus familia fundetur. *neque enim ut in naturali corpore, non potest caput unum esse plurium corporum, ita in morali quoque corpore: nam ibi eadem persona diversa ratione considerata caput esse potest plurium & distinctorum corporum*, ut notavit *Grotius*, varias autem *causas modosq.*, quibus ejusmodi conjunctio oriri possit, recensuit *Pufendorfius*, quos vel solo Hispanorum Regum exemplo comprobare licet. Sed est alia adhuc *unio*, qua *populus unus alteri populo indissolubili ac æterno nexu conjungitur, & in Imperium illius transit, ut tamen in formâ provinciæ, solenni quidem modo, non redigatur*, sicut *Sabinos Imperium omne contulisse Romam*, dixit *Livius*, qui de *Albanis* idem ferè tradidit *alibi*. *Grotius* diceret, *non amitti jura, sed communicari*, alii *penitus distincta manere* statuerent, *sed ab uno summo Magistratu administrari, cujus constituendi facultas penes illum populum solum sit, sub cujus Imperium alter populus concessit*. In genere *de I. B. & P. I, 3, 7.* *de I. N. & G VII, 5, 17.* *I, 13.* *I, 28.* *de I. B. & P. II, 9, 9.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [67] - 7
PUBLIC DOMAIN

genere fortè nihil pronuntiandum, ſed ex formula, in quam uterque populus convenit, judicandum eſt, quâ ſi conſtat ab unius populi arbitrio rerum ſummam pendere, *alter civitas manſiſſe dici non poteſt, ſed alterius pars facta cenſeri debet, quicquid ſimulacri cauſa obtendatur, niſi velis civitatem in civitate ſtatuere, quod eſt omni rationi adverſum.* Merentur legi, quæ de *unitis civitatibus* ad locum Grotii, antea productum, conſignavit *Illuſtris Bæclerus in Diſſertatione, de eo quod civitas egit.*

p. 34. ſeqq.

§. VII. Sed nec II. unam civitatem conſtituunt *populi, qui arctiſſimo fœdere in σύστημα quoddam ſunt colligati,* de quo *Grotij*, & paulo prolixior *Pufendorfii* annotatio videnda eſt. Etſi enim conjungantur jura iſtorum populorum, non tamen ab uno imperii ſpiritu, ſed mutuâ ſociorum conventione, vis atque efficacia illorum procedit, & in ſingulas partes explicatur. Interim *ſimulacra Reipublicæ* hîc occurrunt, quorum reſpectu talia fœderata corpora ſæpè etiam *Reipublicæ* nomine inſigniri, ab exteris quoque cum illis, tanquam cum una Republica, agi obſervamus, ſicut *Hiſpanos* cum *Belgis* in Induciis, tanquam cum *populo libero*, pactos eſſe *Baudij* indicio diſcimus, quorum tamen ſingulas provincias perfectæ civitatis ſtatum retinere abunde *Grotius* demonſtravit in *Apologetico*. Hinc ut in ſummam denique, quæ hactenus dicta ſunt, concludamus: *Ea demum Respublica verè una eſt, in qua, tanquam in ſubjecto eſſentiali, ſummum Imperium indiviſum & inconvulſum, quoad ſingulas ſuas partes conſiſtit, &*, ſi ad ſubjectum accidentale etiam reſpicere velis, *regimine vel Monarchico, vel Ariſtocratico, vel populari, vel ex his pro diverſa ſummæ poteſtatis partitione mixto, per omnes civitatis partes & negotia*

de I. B. l. 3, 7 de I. N. & G. VII. 5, 18.

Induc. Belgic. l. 3. c. 1.

tia ſeſe diffundit, exſerit, diſpenſat. Quæ quomodo ad *Imperium Romanum* applicanda ſint, alterum *Diſſertationis noſtræ* membrum nunc oſtendet.

§. VIII. Quid *Imperij Romani* nomine hîc intelligatur, adpoſitum *Saeri* elogium ſufficienter declarat, quod inauditum fuit in *Imperio* antequam *Romanos titulos* in *Germaniam* intulit, adeoque loquimur de *Imperio Romano* quod cum adjectione *Teutonicæ Nationis*, das Römiſche Reich teutſcher Nation/vel ſimpliciter *Imperium Germanicum*, das Teutſche Reich/appellari conſuevit. Ubi plerique regimen Ottonis, alii Caroli M. in oculis habent, nos autem in præſenti argumento *ſanctionem Pacis VVeſtphalicæ* præcipuè reſpicimus, ex qua tanquam lege fundamentali, in univerſum habitus *Imperij*, qualem nunc ſe oſtendit, condiſcendus eſt, niſi quod ab antiquioribus inde ſeculis *unitatem Reipublicæ noſtræ* defluxiſſe, velut in lucro ponamus.

§. IX. Sed præcavenda ſunt, quæ errandi occaſionem incautis præbere poſſunt, *Imperij* enim *Romani* appellatione plures inſigniuntur populi, ita *Germaniæ Regnum* & *Imperium* ſive *dominum urbis Romæ*, & *Regnum Longobardiæ* vel *Italiæ*, *Imperij*, quique iis præſunt, *Imperatoris Romani* titulum ſibi non ſine ratione præſcribunt: nam quod aliqui *Imperium Romanum* à *Germania* ac cætera *Italia* tam ſollicitè diſtinxerunt, illos tum Pontificum machinationes, ſub *Imperij Romani* nomine, in quicquid à Germanis poſſeſſum, ſibi jus aliquod vindicantium, tum errores quorundam Juſtinianæi juris interpretum, omnia Romano Imperio connexa, ditioni ejus ſubjicientium, excuſare non ſolum poterat, ſed & commendari merebatur illorum opera, in aſſerenda patriæ

triæ libertate, distinguendisque diligenter titulis, quibus aliæ regiones ei accreverunt, tam laudabiliter occupata, cujus instituti mensuram *Illustris Conringij liber de Germanorum Imperio Romano* omninò adimpleviſſe Eruditioribus pridem visus est: sed disciplina illius egregiè abuteretur, qui propterea *Imperij* nomen *Germaniæ* penitus ereptum vellet; distingui à se invicem *Germaniæ Regnum, Imperium Romanum, Regnumque Italiæ* variis de causis & possunt & debent, sed separare, postquam horum omne jus in perpetuum Germaniæ cohæret, minimè licet. Cujus intuitu appellationes istas scriptores rerum Germanicarum permiscere, *Bæclerus* observavit.

in Otton. I. p. 295. & 299.

§. X. Illud tamen decisione indigeret, *an in verè unum Reip. corpus coaluerint, an saltem unio ita contigerit, ut nihilominus tres perfectæ Respublicæ mansisse dici possint?* Equidem de libertate civili *Germaniæ* minus dubii supereſt. Sed quod *Imperium Romanum* attinet, *Grotius* asserere non dubitavit, *populum Romanum hodie eundem esse, qui olim fuit, & Imperium penes eum mansisse, tanquam penes corpus, in quo esset ac viveret,* nisi quod Eruditi existimaverint, illum hunc locum ex hypothesi potius illius gentis, cujus auspiciis universum *de Jure belli ac pacis* Opus lucubratum est, quam ex sua ipsius mente percoluisse; quicquid sit, certè pridem non solum à Commentatoribus, sed & *Conringio, Limnæo*, ac aliis confutatus est. Quæ autem *de Regno Italiæ AEneas Sylvius in Histor. Friderici III.* tradit: *Illud subactis Longobardis, non in formam provinciæ, sed ad Imperium sub* honore Regni *receptum esse*, validè nobis opponi non possunt, quoniam, ut ex contextu illius digressionis apparet, rerum veritas ab ipso impetrare non potuit, ut

de I.B. II. 9. 11.

de Imp. G. Rom. c. 12. Addit. Tom. 2. ad c. 4, 24. p. 9.

ut affectuum erga patriam penitus obliviſceretur. Nos igitur exiſtimamus, ſi quis rem ipſam detractis ſimulacris inſpiciat, neque *Imperium Rom.* neque *Longobardiæ Regnum* manſiſſe perfectam Remp. ex ea ratione, quod per Otton. I. ipſi Germaniæ utrumque non ſolum conjunctum, ſed & ſubjectum fuerit, ita ut extincta familia regnatrice, utriusque populi Imperium ad Germaniam ſolam non ad quemque populum ſeorſim reverteretur, quod tamen ſi diſtincta Rerumpubl. corpora fuiſſent omninò requireretur; Ipſe *Fridericus I. Imperator* in reſponſo ad orationem Romanorum Legatorum, non obſcurè eo provocavit: *Supervenit Francus*, inquit, *verè nomine & re nobilis, eamq; quæ adhuc in te reſidua fuit ingenuitatem* (civilem, quæ ſine ſummo Imperio intelligi nequit, ut *Grotius* loquitur,) *fortiter eripuit, vis cognoſcere antiquæ tuæ Romæ gloriam, Senatoriæ dignitatis gravitatem, tabernaculorum diſpoſitionem, Equeſtris Ordinis virtutem & diſciplinam, ad conflictum procedentis intemeratam ac indomitam audaciam? Noſtram intuere Rempubl. penes nos cuncta hæc ſunt, ad nos ſimul omnia hæc cum Imperio dimanarunt. Non ceſſit nobis nudum Imperium, virtute ſuâ amictum venit, ornamenta ſua ſecum traxit. penes Nos ſunt Conſules tui; penes Nos eſt Senatus tuus; penes Nos eſt miles tuus. Proceres Francorum ipſi tuam ferro injuriam propellere debebunt.* Cœterum *trina coronatio Cæſarea*, etiamſi in expedito eſſet, quam non evincat diſtinctionem trium Rerumpub. nuper obſervavit *Ampliſſimus Dn. Præſes in Animadverſionibus Monzambanianis*, quid vero ex eo colligere liceat, quod anni Regnorum & Imperij ſubinde in Diplomatibus Cæſareis ſeorſim numerentur, pridem oſtendit *Bæclerus* in Ottone I.

Vid. Bæclor Otton. I. p. 297. & Vind. Anti-Blond. pag. 247. Conr. de Imper. Germ. Roman. c. 10.

de I. B. & P. I, 3, 21. & 12.

ad c. 1. §. 14

n. 9. p. 298. ſeqq.

§ XI. Unde si quis rigorose loqui amet, præscriptus Dissertationis index ad totum complexum sese extendit: sed quoniam Italiæ *possessio* hactenus fere interversa est, quamvis *Jus* integrum persistat, ut prolixè demonstrat *Conring.* de *Imp. Germ. R.* & per universam Imperatorum seriem deducit *Bœcler.* in *Vind. Anti Blond.* fit tamen ut ratione administrationis à Germania penitus separetur ad quam alias, si dicendum quod res est, veluti accessio & pars minus digna se habet, ut proinde eximie huc non pertineat, neque à scriptoribus qui de unitate Reip. Imperii nostri differunt, ullo modo attendatur, quos si sequamur, ad solum, ut appellitant, *Germaniæ regnum*, disquisitio nostra devolvetur, cui ut præscriptum & *Sacri* & *Romani* & *Imperij* titulum amplius vindicemus, supervacuum foret, postquam professâ operâ tam luculenter illud præstitit, *Illustris Bœclerus* in sæpius laudatis *Vindiciis Anti Blondellianis*.

c. 12. p. 253. ad 276.

§XII. Germania autem ab iis temporibus, quibus in unam Remp. concesserat, eandem quoque unitatem fere retinuit: nam quamvis post mortem *Ludovici Germanici*, ad quem in divisione Regni Francici Germaniæ Regnum pervenit, filii, conventione facta, paternum Regnum diviserint, *ut Carolomannus Bajoariam, Pannoniam, Carenthanum, Bohemiam, Moraviam: Ludovicus Orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Frisiam, Lotharingiam: Carolus Alemanniam & quasdam civitates Lotharingiæ propter vini copiam, haberet*, adeoque tria nova, sui Juris Regna instituta fuerint, ut ex scriptoribus illius ævi constat, mox tamen duobus fratribus sine legitima sobole denatis, ultro in tertium, *Carolum*, postea *Crassi* nomine apellatum, ut cœtera, de quibus hactenus inter Carolinos posteros armis decertatum erat, ita etiam

Oth. Frisc. Chr. L. 6. c. 6.

etiam hæc tria Germaniæ Regna confluxerunt, & in unam Remp. denuo coaluerunt, quæ omnia distinctius tradita sunt à *Conring. de Finib.* Exinde verò Germanici quidem Regni divisionem factam nullam esse, facile demonstrari potest, nam quoties istius & sequentium seculorum scriptores vel subsidiariæ Electionis, aut inaugurationis solennis actum describunt, observare subinde licet ejusmodi formulas: *Congregatis Principibus, Consensu omnium:* interdum etiam enumeratio additur. *Francorum, Alemannorum, Bavarorum, Thuringorum & Saxonum Rex eligitur,* vel *elevatur & ungitur in Regnum,* certissimo indicio, hos populos tunc unius Reipubl. vinculo combinatos fuisse. Etsi autem postea, temporibus præsertim interregnorum hoc vinculum variis casibus laxatum sit, non tamen penitus dissolutum est, nec eo usque saltem *degenerasse* dici potest, *ut vix majorem vim habeat, quam fœdus aliquod systematicum Sociorum inæqualium,* nisi quis rebellantium facinoribus speciosa juris nomina præscribere sustineat. Illud quidem certum est, inde à quo Monarchica Cæsarum potestas limitari & paulatim Ordines consortium Regiminis affectare cœperunt, instabilem Reip. habitum, quo jam Imperatoriæ partes prævalebant, mox suæ Ordines jura amplificare contendebant, etiam prudentum sententias in dignoscenda dijudicandaque *forma Imperij accidentali,* distraxisse, quippe quæ variis loquendi modis agendique simulacris vestita in certum publicisque formulis perscriptum statum nondum subsederat: sed ad *unitatem Reip.* quæ formam ejusdem *essentialem* comitatur, dubitationes istæ non pertinent, illa enim sicut sub turbis civilibus inconcussa perstitit, ita per *Sanctionem Pacis Westphalicæ,* tanquam legem fundamentalem,

L. 1. c. 4. §. seqq.

ut in Henr. Aucup. Contin. Regin ad A. C. 920.

Vid. Bæcl. Notit. S. R. I. L. 1 c. 2 p. 4 Forstner. ad Tacit. XIII. Annal. 54.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [73] - 13
PUBLIC DOMAIN

lem, amplius roborata, & in universum de *Statu Imperij Politico, ne posthac controversiæ suboriantur*, ibidem provisum est, ut adeo hic disputandi tricandique libidini & scripturientium audentiæ constituti termini putari debeant.

Instr. Pac. Cæs Suec. art. VIII. §. 1.

§. XIII. Omnino enim habent hoc *Populi liberi*, ac rationi naturali non solum consentaneum est, sed & communi veluti nationum consensu, in vim juris gentium evaluit, *ut quam sanctionibus publicis & qui his innititur, curiali stylo, regimini suo formulam prætexuerint, privatorum opinationibus aut umbraticis ratiunculis explicari judicarive, nec possit nec debeat, sed Legibus publicis privatæ scripturæ, sermones, meditationesque sese attemperare teneantur.* quod *Bæclerus* quoque submonuit; jam autem certissimum est, Leges fundamentales de Imperio nostro, tanquam de *una Rep.* non solum *disertis verbis* loqui, sed & contextum publicæ administrationis quoad singulas sui partes ejusmodi instruere præsidiis, qualia extra Remp. verè unam ne quidem concipi possunt.

Notit. S. R. Imp. XXII. 2. p. 218.

§. XIV. Ita *diserte* unitas Reip. signatur, quoties in Constitutionibus publicis, *Sacrum Romanum Imperium*, non qualicunque figuratione Verborum, ut privatæ consociationes & systemata fœderata, sed sublimiori aliquo significatu & veluti solenni formula, *Corpus* appellatur, in quo *Capitis* autoritate *Imperator*, *membrorum* verò æstimatione *Ordines* censeantur: loca *Limn.* & aliis consignata non repetimus. intempestivum autem fuerit comparationis hujus medium, à vulgari quadam cœterisque cœtibus communi figura loquendi arcessere, quod jura Imperii publica repetunt ab intima illa unius animæ ac spiritus participatione, qua singuli Status cum Imperatore ac inter sese æquali juris harmonia,

de I. P. I, 7, 51,

qualis

qualis nempe *formæ Reip. & Constitutionibus Imperij* (ut publicus stylus loquitur) *conformis est*, tanquam vinculo formali, in unam personam moralem coalescunt, & cujus arcano impulsu ipsum *caput* & universa ac singula *membra* ad subeunda officia muniaque suæ cujusque constitutioni congrua, moventur veluti, & *per modum Imperij* adiguntur, ut toti *Corpori* decus, vigor, & sua in fruendis utilitatibus communibus felicitas constet. vid. *Lampadius.* Nam *quod aliquando caput adversus membra velut in partes discesserit*, superiorum temporum labes fuit, cujus ratione *Monzambanus* Imperium R. non magis monstrum dicere debebat, quam Galliæ Regnum aliasve Resp. quas dissidium religionis aut similes causas in bella civilia interdum traxisse notissimum est.

Instr. Pac. Cæs. Suec. art. V. §. 1.

de Rep. R. G. P. III. c. 1. de Stat. Imp. G. c. 7. §. 8.

§. XV. Eodem pertinent, quæ in Imperio nostro tam signanter, tantoque potestatis apparatu dispositа videmus, *de reformatione atque emendatione* Politiæ, cui omnes actiones suas, per se aut ex circumstantiis ad civilem administrationem pertinentes, per modum legis universalis jubentur attemperare, quicunque inde ab Electorum, Principum, cæterorumque Statuum fastigio ad infimam usque privatorum classem in *Imperatoris & Imperij* subditorum censu habentur. in exemplum conduci possunt, Reformation guter Policey zu Augsp. de Anno 1530. & 1548. zu Franckf. de Anno 1577. & plura instituta similia, quibus non dispari vinculo, licet dispari ordinis gradu obstringuntur, qui alio respectu supra privatos eminent. ita aliis formulis *Recessus* & *Constitutiones Imperij*, *Diplomata*, *Privilegia*, *Edicta* & in universum *stylum publicum* instrui videas, quæ sicut cum

cum natura ſyſtematicorum corporum manifeſto pugnant, ita eàdem operâ unitatem Reipubl. luculenter evincunt.

§. XVI. Vim hujus argumenti non elidunt quæ *Hippolith. à Lapid.* aliâs tradit: *Receſſus Imperij parum accurate loqui, & magnificis verbis, etiam contra rerum naturam nimium ſibi indulgere, à paraſitaſtris illis Legiſtis Receſſuum concinnatoribus vim Comitiorum non ſatis capientibus provenire, quorum opinione etiam Ordines Imperij perſuaſi ac in fædam ſtatus ſui ignorantiam inducti ſint, itaq; ex uno alteroq; Receſſuum verbo, lubrica peti argumenta, quibus ſolum ſibi placeant iſti qui vitri exteriora lambunt, pultem vero nõ attingunt,* iſtis enim criminationibus cordatiorum neminem ſibi illud paſſurum eſſe opinor, quid enim ſani expectes ab eo, qui adverſus Cæſarẽ non tantum, ſed & plurimos nominatim Ordines, & totum denique Reip. Statum hoſtili animo & calamo graſſatur? cui ut formam quam ſibi animo conceperat aptare poſſet, primum cavillari legum fundamentalium verba neceſſum habebat, quod ſi cavillationi manifeſtiſſimus ſenſus viam præcluſerat, quid aliud relinquebatur? quam autoritatem illarum atterere, dummodo ſuæ cauſæ ſerviret; quanquam profecto hoc non eſt cauſæ ſervire, ſed nocere, ſi quis autoritatem illis denegare ſuſtineat, unde *baſin & fundamentũ operis ſui extruere* ratio videbatur, quæque *limpidiſſimi* univerſæ ſcriptionis *fontes* haberi debebant, quod de *Receſsibus* inprimis & *Conſtitutionibus Imperij alibi* profitetur Hippolithus, cujus dicacitatem armorum jus aliquatenus excuſare valet, quale ſuæ *commentationi* prætexere nullum poteſt *Monzambanus*, quanquam in illa paſſim dicteriis *ſtylum Curiæ* laceſſere, aut ipſis etiam *Receſſibus* inſultare non dubitaverit.

de Rat. Stat in Imp. R. G. P. l. c. 4. ſ. 3. n. 24. 25 add. ſ. 5. n. 19. & P. 1. c. 6. ſ. 2 n. 7 8.

præf. ad Lect. S. 26. & 28. de Stat. Imp. C. c. 6. §. 6. add. c. 5. §. 2.

§. XVII.

§. XVII. Sed ne pro Imperio cuiquam unitatem Reipubl. noſtræ obtrudere videamur, per partes omnes ſummæ poteſtatis eam demonſtrabimus, niſi quod in anteceſſum *de Superioritate Territoriali*, ejusque *juribus* pauca dicenda ſunt, ne in progreſſu offendamus; quemadmodum enim in cujusque populi liberi arbitrio conſtitutum eſt, qualem in civitate ſua ordinem & poteſtatis diviſionem introducere velit, ita Germanorum ingenio eximiè illam, qua utitur, regiminis ſpeciem convenientem, imò neceſſariam fuiſſe experientiâ edocti ſumus. Sunt autem *jura Territorialia* nihil aliud quam *jura realia territorio connexa, quorum vi ſingula immediata Imperij membra in territoriis à ſe poſſeſſis, poteſtatem, ſummæ proximam, exercent.* Natura illorum melius intelligi nequit, quam ex analogia jurium majeſtatis; quemadmodum enim jura Majeſtatis ſe habent ad univerſam Rempubl. ac circa omnia media ad finem Reipubl. univerſalem obtinendum neceſſaria, verſantur, abſolutè & illimitatè; ita jura territorialia ſe habent ad territorium, & circa diverſa media ad finem territorii particularem obtinendum neceſſaria, verſantur modo ad univerſales Imperii leges reſtricto. unde ſi quis exquiſitè loqui velit, *Superioritas Territorialis* ſumma & Majeſtatica non eſt, ſed dependet non tantum quoad modum habendi, verum etiam quoad rem ipſam, ab *imperio ac dominio univerſali, quod in omnes perſonas, univerſas regiones, earumque ſingulas partes civitati toti, hoc eſt, Imperatori & Imperio competit*, ſicut nemo quoque ex Ordinibus *directum* in territorium ſibi jus vindicat. in univerſum autem limites, quibus ſuperioritas illa coërceatur, ſignavit Generos. Dn. à Seckendorff im Teutſchen Fürſten-Staat/ peculiari capite, von der Maß der Landes-

part. 2. c. 2.

Lands-Fürſtl. Hoheit in Anſehung Kayſerl. Mayeſt. und des Reichs. Poteſt tamen ſumma & majeſtatica dici, ſi commodè explicetur, nimirum quatenus conſideratur non *in ſe* & *abſtractivè*, ſed *concretivè*, ſi cum Philoſophis loqui licet, hoc eſt, quatenus *in certo ſubjecto* Majeſtati tam arctè connexa eſt, ut quædam è viſceribus Majeſtatis progreſſa virtus, ſe ei veluti inſinuet, vigoremque Maieſtati cognatum conciliet: & hoc ſenſu intelligi fortaſſis voluit *Lampadius*, quando *ratione rerum ad Comitia ſpectantium Principibus in ſuis Territoriis ſupremam atque adeò Maieſtaticam juris dictionem competere*, aſſeruit, propter intimam illam conjunctionem, qua mutua ope & indivulſo agendi principio in actus ſui perfectionem convaleſcunt, Maieſtas, alio reſpectu Statibus competens, & Superioritas Territorialis, in exercitium adminiſtrationis provincialis degreſſa, ut illa huic dignitatis ſuæ poteſtatisque ſplendorem pariter ac efficaciam quandam largiri ac diſpenſare intelligatur. Sed quoniam non cujusvis erat tantæ connexionis propinquitatem pervidere ac comprehendere, aut quid proprium quidve aliunde communicatum hîc eſſet, probè diſcernere, plerique non ultra fermè, quàm ſuperioritatis vocabulo meditationem ſuam ac interpretationem definiverunt, ut nihilominus in re præſenti effectus Maieſtati proprios illi adſcribere non dubitaverint, unde ſubnata eſt fluctuans illa ac multa verborum formularumque commixtione perturbata de *Superioritate* philoſophandi ratio, cuius cauſam quidem in id conjicere maluit *Wehnerus* cum aliis, quod *nec jure ſcripto nec perpetua aut certa aliqua obſervantia*, hæc materia definita ſit, unde privatæ diſquiſitiones explicationis ſuæ menſuram capere poſſint. Solidiſſimæ tamen tractationis

de Rep. R. G. p. 3. c. 3. n. 16. ſeqq.

Obſ. pract. Loc. Landes fürſtl. Obrigk.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [78] - 18
PUBLIC DOMAIN

tionis ſpecimen in hoc argumento edidiſſe videtur *Ludolphus Hugo* adornato nobili Commentario *de Statu regionum Germaniæ & Regimine Principum ſummæ Imperij Reip. æmulo*, ubi diligenter *Jura Imperialia*, ſive ſummæ poteſtatis à *juribus territorialibus* diſtinxit, diverſasque horum ſpecies, & imprimis nobilem partitionem inter Jura territorialia *per ſe* & *ex ſuppoſitione* talia, eximiè illuſtravit, quem non exſcribimus: ſed pergimus ad diſpiciendum, quid vel in univerſo Imperio, Imperator & Ordines conjunctim, jure Majeſtatico, vel in ſuis territoriis ſinguli Status jure ſuperioritatis ex Majeſtate reſplendeſcente, poſſint. ut exinde quomodo ſecundum ſingulas partes ſumma poteſtas in Imperio Rom. una ſit, colligamus.

§. XIIX. Principio enim *legem* univerſum Imperium obligaturam *condere*, aliaque eo pertinentia exercere, *Imperatoris & Statuum conjunctim* ſumtorum res eſt, niſi quod ſeparatim quid juris nomothetici Electoribus competere videatur in concipienda Capitulatione, & jus privilegiorum concedendorum inter reſervata Cæſaris cenſeatur: unde quidem diſtributio objecti in ſubjecto accidentali, non autem multiplicatio ipſius facultatis Legislatoriæ evincitur. Nam quod vulgò dicunt, *Status in ſuis territoriis poſſe leges condere etiam juri communi repugnantes*, ad Jus Juſtinianæum & conſuetudines in Imperio communiter receptas reſtringendum eſt, ad publicas autem Imperii leges in comitiis latas, non pertinere *Mylerus* oſtendit; quanquam amplius diſtinguendum puto: ſunt enim & hæ leges duplicis generis, aliæ ſtatutis & conſuetudinibus territorialibus expreſsè derogant, ſicut in R. A. zu Augſp. de An.

de Pp. & Stat. Imp. R. G. p. 2. c. 39 §. 5.

de Ann. 1551. §. 71. & alibi passim ejusmodi clausulæ annullatoriæ deprehenduntur: quo casu libertas legem provincialem pro arbitrio condendi manifesto præscinditur; aliæ autem Ordinibus facultatem positivè permittunt, generalitatem legis imperialis quadantenus corrigere, ei aliquid addere, detrahere atque conditioni hominum, regionumque statui, quibus præsunt, attemperare. Specimina vid. in *Ordin. Crimin. Carol. V. prin.* R. A. zu Regenspurg. *de Ann.* 1654. §. 171. ubi contrarium aliquid communibus legibus utique statuere possunt, si modo contrarium dici potest, cui à voluntate Legislatoris vis legitima decernitur, quare secundum illius tenorem, in causarum quoque decisione inter provinciales *Camera Imperialis* pronuntiare jubetur.

Ord. Cam. p. 1. t. 57.

§. XIX. Peculiarem magis æstimationem quam cætera sortitur *jus circa sacra*, quoniam enim religio non intra finem consociationis civilis subsistit, sed ad ulteriorem ordinatur, dissidium autem in Ecclesia subortum legitimis rationibus componi nondum potuit, nulla alia expediendi ratio supererat, quam ut defectum Imperii in ditionibus, prout res patiebantur, supplerent status, quoad singulorum conscientiæ liberum relinquebatur, ex religionis controversæ partibus alterutram eligere: è cujus electione habitus quoque *jurisdictionis Ecclesiasticæ* dependet. Quantacunque autem illa sit *autonomia in sacris*, certos tamen limites à constitutionibus Imperii accipit, quos nuper *Sanctio Pacis Westphalicæ* luculenter exposuit. Add *Mylerus de Princ. & Statib. Imp. R. G. p. 2. c. 82 83. 84.*

art. V.

§. XX. Ad *bella* ut veniam *nomine Imperij* decernenda gerendaq; communem Imperatoris Statuumq; consen-

consensum *regulariter* requiri *Tabulæ Pacis* apertè testantur: quanquam enim *in subitis* etiam reliqui Ordines admitti & in *monitis* suis *ad Capitulationem Leopoldinam* hanc clausulam inseri denuò voluerint, hactenus tamen *legaliter* Electoralis Collegii solius mentio facta est. *Jus faciendæ pacis* sicut naturaliter *eorum est, quorum est bellum*, ita in Imperio necessario quoque contextu secum invicem cohærent. Quamvis autem instituta civitate jus illud resistendi promiscuum, singulis naturaliter permissum, civitati accreverit, ut *Grotius* philosophatur, idemque in Imperio nostro sanctionibus de pace publica servanda, aliisque quibus non vi sed jure experiri Status jubentur, expressè statutum sit, tamen propter *defectus administrationis publicæ*, qui veluti cicatrices ex vulnere, quod superiorum temporum labes Reip. inflixit, superstites, eandem suo officio fungi, eo quo par erat modo, nondum patiebantur, *singulis territoriorum dominis*, pro securitate *armorum* jus permittendum fuerat, quorum tamen bella cum exteris non solo jure gentium, sed civili etiam, Constitutionibus Imperii comprehenso, reguntur, ne Imperio vel alicui ex civibus Imperii damno sint. Ita porrò, ad *bella offensiva* ex legibus Imperii specialem consensum Imperatoris requiri, ostendit *Mylerus* & contra *Limnæum* id negantem amplius asseruit *Schuzius*, quanquam *Limnæus in Additionibus* re ipsâ *Schuzio* largiri videatur, quod in verbis formalibus tã pertinaciter negat. Interea certum est, quicunque aliter atque leges publicæ permittunt in Imperio, arma suscipit, in *crimen fractæ pacis publicæ* incidere, ideoque in Camera Imperiali vel Aula Cæsaris mandata avocatoria contra eundem sub pœna banni & publicationis bonorum decerni, ut *R. I. Spirens. de Ann.* 1529. expressè

art. VIII. §. gaudeant.

ap. A. der Grundv. *p. 3. c. 3. p. 213.*

Cid. Capit. Leop. art 13

Grot. de I. B III, 20, 2.

de I. B. & P. I, 4, 2.

de Princ. & Stat. p. 2. c. 81. §. 4.

de I P. IV, 8, 247.

Colleg. I. P. Vol. I. diſp. 10 th. 3. T. 2. p. 304. ſeqq.

expreſsè diſpoſitum repetitumque *R. I. Auguſt. de Anno* 1530. §. 66. 67. ac *Ordinat. Camerali. P. II. t. 9. §. 3. 4.* inſertum eſt. Eodem ferè modo *in fœderibus* ſe res habet, ad quæ ſi *nomine Imperij* pangenda ſint *ordinario caſu* conſenſus Imperatoris & Statuum communiter requiritur; *in ſubito* Cæſari ac Electoribus *vi Capitulationis* ea res committitur. Terminos autem *ſuperioritati territoriali* hic conſtitutos, ex ipſis *Tabulis Pacis* intelligere licet, in quibus *jus faciendi inter ſe & cum exteris fœdera, pro ſua cuiusq; conſervatione ac ſecuritate ſingulis Statibus perpetuò liberum conceditur. Ita tamen, ne ejusmodi fœdera ſint contra Imperatorem & Imperium, pacemq; ejus publicam vel hanc imprimis transactionem, atque ſalvo per omnia juramento, quo quisq; Imperatori & Imperio obſtrictus eſt.* Sed hæc ad *fœdera defenſiva* pertinent, *offenſivum* autem nullum cum altero inire poſſunt, niſi itidem ex ſpeciali Imperatoris conſenſu.

Leopold. art. 10.

art. VIII. §. 1.

§. XXI. Quod attinet *jus in res civium extraordinarium, ſupereminentis Dominij* nomine *Grotio* appellari ſolitum, in Capitulationibus Imperatoriis, inde *à Carolina ad Leopoldinam* uſque *Imperatoris & Electorum* tantùm fit mentio, unde ſubdubitari cœpit, *an conſenſus cæterorum Ordinum ſit neceſſarius? Doctiſſimus Conringius de Statu hodierno in re dubia malle ſe* ἐπέχειν, profeſſus eſt, *cuius ad exemplum, ſuum quoq; judicium ſe ſuſpendere* dixerat *Limnæus in Annot. ad Capit. Ferdin. IV. artic. 9.* quæ inſerta ſunt *Additionibus T. 2. ad l. 12, 245.* ſed in *poſteriori editione*, ubi inter cæteras quoque Capitulationes comparent, *affirmativam* ſuſcepit, iſta tamen concludendi ratio, quam ex *art. VIII. Inſtr. Pac.* mutuatur, vix rem evincet, ut *Bæclerus* oſtendit, fortius argumenrum petitur ex illuſtri *Pacificationis Oſnabruggenſis* exemplo, *in*

art. 9.
art. 12.

de Finib. Imp. G. c. 19. p. 290.

n. 17. p. 831.

Not. S. R. Imp. L. 18. p. 198.

in qua supereminentis Dominij rationes probè excussas esse, & non nisi ab Imperatore & Imperio sive Ordinibus simul exerceri potuisse, Bæclerus alibi notavit: quod & expressæ formulæ: *Cæsarea Majestas de consensu, consilio & voluntate Electorum, Principum & Statuum Imperij concedit, &c.* in *Instr. Pac.* tum *Cæsar. Suec. art. X.* tum *Cæsar. Gall. §. 69.* testantur. Dubium autem quod ex Capitulatione moveri posset, optimè, ni fallor, expedivit *Conringius*; Ex his constat, quam peritè *Monzambanus* dixerit, *magnum habiturum esse malum, qui in Imperio asserere audeat universis Ordinibus in singulorum bona tantùm competere potestatis, quantum in Republ. Veneta toti Senatui in bona singulorum Senatorum:* Certè malum nullum habebit, qui dicit, quod Leges publicæ dicunt, & quotidiana praxis docet: quo enim nisi *Dominij Eminentis* jure adigi potuit *Sereniss. Elector Brandeburgicus*, ut jus suum in ditiones Suecis cedendas desereret, aliisque in compensationis vicem sibi satisfieri pateretur? nam suapte sponte non consensisse Sereniss. Electorem, patet ex *Epistolis Forstnerianis*, & ipse *Severinus alibi* fassus erat, *maluisse eum pro hisce Pomeraniam interiorem retinere.*

Diss. de Domin. Emin. p. 117.

de Fin. Imp. G. d. l. p. 289.

De Stat. Imp. G. c. 6. §. 5.

c. 2. §. 7.

§. XXII. De *Jure ordinario*, quod ad *vectigalia* & *contributiones* refertur, potius dispiciendum est. Equidem *vectigalia* omnia, etiam quæ Imperii dicuntur, non Imperium, sed singuli Status in territoriis suis percipiunt, in compensationem nimirum onerum personalium vel realium à se quoque sustinendorum, quæ unicum vectigalium exigendorum *fundamentum* atq; *mensura* sunt, notante *Grotio*. Iidem tamen Status sine *Imperatoris & unanimi Electorum consensu*, neque vetera ultra modum legibus publicis perscriptum intendere, neque nova instituere possunt, adeò ut si quispiam sub quocun-

de I. B. & P. II. 2, 14.

quocunque prætextu tale quid moliatur, Camera Imperialis mandata ſine clauſula inhibitoria ac reſtitutoria, præter extraordinariam pœnam decernat. vid. *Capit. Carol. V. art.* 18. *& reliquorum. Leopold. art.* 21. 22. 23. *Contributionum* autem *nomine Imperij* (Reichs Steur) *indicendorum jus penes Imperatorem & Ordines ſimul* conſiſtere, dubitare *Inſtrumentum Pacis* nos non ſinit. quanquam *modus exercendi* hujus juris non careat difficultate, nam de *pluralitate votorum* pridem dubitationem ſubortam eſſe, *Limnæi* indicio diſcimus, quam neque *Pacificatio Oſnabrugenſis*, neque inſecuta *Comitia* An. 1653. 54. expedire potuerunt, uti ex *actis* conſtat, qualia per *Excerpta* idem *Limnæus* exhibuit. An autem *præſentia Comitia* legalem definitionem productura ſint, tempus docebit, nam in conſultationem veniſſe hoc argumentum conſtare poteſt ex *B. Venator. ominoſ. rer. ſerie.* add. *Olhaf. diſc.* vom heutigen Reichstag *p.* 2. *l. u.* Interea certiſſimum eſt, quod ſi *Imperator & Ordines* eo modo ac formula, qua in cæteris quoque deliberationibus utuntur, inter ſe de *quota* convenerint, quæ ab initio voluntatis fuerat (freywillige Steur) neceſſitatis fieri, Statusque non *jure* aliquo *pactitio*, ſed *decreto imperiali* (Reichs Decret) à ſumma poteſtate civili profecto, ad ſolvendum obligari, adeò ut ſi quispiam cunctetur, in Camera Imperiali mandata ad pœnam dupli contra eum decerni, contumacem verò privatione bonorum vel regalium, proſcriptionis etiam pœna, coërceri poſſe, Imperii Receſſibus conſtitutum ſit, quod demonſtrat *Doctiſſimus Mylerus*. Imperitiam igitur Status publici iterum detexit *Monzambanus*, quando *nihil ab Ordinibus pro Imperio exigi*, veluti de plano pronuntiavit. Quales autem termini per leges univerſales *Superioritati Territoriali* circa

art. VIII. §. 1.

de I. P. IX. 1, 182. 183. Inſtr. P. ac. Cæſ. Succ. art. V. §. 52. T. 2 Add. ad IX, I, 182 p. 362. ſeqq. conf. A der Grundv. *p. 3. c. 7. p. 286.*

de princ. & Stat: Imp. p. 3. c. 97. §. 25. de Stat. Imp. G. c. 5. §. 7.

circa exactionē collectarum provincialium positi sint, idem *Mylerus* & alii exponunt. Unde & ille *Monzambani* error corrigi debet, *ac si Cæsari parum curæ esset, quomodo quisq; Ordinum suos subditos tractet, & tondeat an deglubet suas oviculas*, quem vel nuperum *Extensionistarum*, ut vocabantur, exemplum confutare poterat. *de Princip. & Stat. l. p. 2. c. 62. de Stat. Imp. germ. c. 5. §. 6.*

§. XXIII. Accedunt ex partitione Grotiana, quam hactenus sequi maluimus, ea quæ Majestas per alium expedit. *Jus judiciorum in Imperio*, quatenus Majestaticum est, si sequamur rationem concludendi pragmaticam, aliquoties *Lampadio* traditam, quâ omnia *imperandi jura Cæsaris propria esse dicuntur, in quorum communionem Ordines per Capitulationes, Recessus, aliasq; Constitutiones Imperij, non expressè concesserunt*, apparebit *Imperatori ferè soli* tanquam subjecto formali ac primo inesse, quod prolixè etiam demonstrarunt *Paurmeisterus* atque *Lampadius*. ut proinde *Jurisdictio*, quam vi *Superioritatis territorialis Dicasteriis suis & Judiciis Provincialibus* impertiunt Status, si non appellando, quod cum natura subditi consistere posse, *Grotius* docuit, certè supplicando Jurisdictioni Cæsaris subjiciatur, patiaturque superiorem, quam de cœtero Status vel cum subditis suis, vel inter se litigantes recognoscere tenentur, in omnibus causis, tam civilibus, quam feudalibus, nam quod *Pares Curiæ* aliquando adhibebantur, consilii erat, non necessitatis. Aliud est in *Jure Magistratuum Imperij constituendorum*, quod securius vulgo explicant, qui Ordines Imperii Magistratus appellare non verentur. nam quin olim *Duces, Marchiones, Landgravij ac Comites* varii generis, Magistratuum nomina & officia fuerint, dubitari nequit, sed cum paulatim Imperium ipsum sibi arrogaverint, istaq; usurpatio Imperatorum patientia in jus abierit, ut cum *de Rep. R. G. P. III. c. 16. §. 1. p. 3. c. 13. §. 3. de Iurisd. Imp. R. L. 2. c. 6. de Rep. R. G. p. 3. c. 16. de I. B. & P. II. 4. 13.*

de I. B. l. 3, 21. *Grotio* loquar, retinebantur quidem hodieq; nomina, sed non manebant officia & status pristinus. quod si tamen quis popularem philosophandi rationem sectari maluerit, & sub hoc titulo agere de *Constitutione Statuum*

de I. P. l. 7, 65. & 79. Colleg. I P. Vol. 1. disp. 6. th. 2. T. 2. p. 118. seqq. *Imperij*, arbitramur facile contra *Limnæum*, obtinere verioris sententiæ assertorem *Schuzium*, facultatem creandi Status *soli Cæsari* competere, nam dubium illud, quod *Limnæus* ex *necessitate consensus* cæterorum Ordinum extruere, & in *Additionibus* responsi loco *Schuzio* reponere voluerat, distinctione inter *causam efficientem veram*, & *sine qua non* fortassis expediri poterit. Veri autem *Magistratus Imperij* exemplum sicut superiori tempore in *Regimento*, ita hodie in *Consilio imperiali Aulico* & *Camera Spirensi* videre licet, cujus constitutio quoad subjectum, formam & modum expediendæ jurisdictionis *communi Statuum & Cæsaris* autoritate instituta est, quamvis *à solo Cæsare* jurisdictionem acceperit, sicut eruditè & ex mente Veterum Jus judiciorum à Jure Magistratuum distinguit *Lampadius*. Quæ cum vulgo confundere videtur *Limnæus*. Pertinet huc etiam, si quis constituendus est, *Cæsaris Vicarius generalis*, quem olim solus Cæsar sibi constituit, superiori autem seculo consensum Ordinum accessisse volunt. Quoniam præterea quid status singularum regionum exigat, rectius *singuli Ordines* perspiciunt, etiam his *facultas ordinandi Magistratus & Officiales Provinciales* competit, qui tamen non possunt extra limites Imp. Constitutionibus sibi præscriptos evagari.

de Rep. R. G. p. 3. c. 16. n. 8. & 11. de I. P. IX. 2. 55.

§. XXIV. *Jus* circa *Legationes Imperij* vel ad *mittendas* vel ad *recipiendas* pertinet. *Illud* ex indole negotiorum cum exteris per Legatos tractandorum, æstimationem suscipit, prout enim mittuntur vel de re in solius Cæsaris potestate constituta, vel ad Comitia pertinente, etiam

etiam vel ſoli Cæſari vel Ordinibus communiter iſta facultas competere videtur, prærogativa tamen aliqua Cæſaris cernitur, quod *inſtructiones Legatorum*, & *literæ*, quas vocant *credentiales*, non in *Cancellariâ Moguntini*, tanquam Archi-Cancellarii Imperii; ſed *Cæſaris*, in der Reichs Hoff-Cantzley conficiantur, ſicut illuſtri exemplo *R.I. Ratisb. de An.*1576. §. 107. diſcimus, in *ſtilo* quoq; peculiare quid obſervare licet, quando Cæſar vocat, Unſere ſonderbare Abgeſandten / wie auch die zugeordnete anſehnliche Deputirte von den Reichs Ständen. *R.I. Ratisb. de A.*1603. §.29. Quod verò ad *recipiendas audiendasq; exterorum Legationes ad totum Imperium miſſas*, attinet, videtur omninò nullâ Capitulatione reſtrictum eſſe Jus Imperatoris, quanquam contrahere cum ipſis atq; concludere iterum pro diverſitate negotiorum vel ſolus poſſit, vel Ordinum conſenſum exquirere teneatur. Cætera, quæ minoris momenti ſunt, attingere nihil attinet. Ex his in univerſum colligimus, quia *primo* leges publicæ expreſsè dicunt, *deinde* adminiſtratio ſummæ poteſtatis per ſingulas partes luculenter oſtendit, Imperium noſtrum eſſe unam Rempublicam, imperitiæ aut impudentiæ ſpecimen dare, quisquis in ſeria æſtimatione id negare ſuſtineat. *An* autem *conſultius ſit Statibus, ſi plures à communi Imperij corpore ſeparatas inſtituerent Respublicas?* ſicut hoc ſeculo in quibusdam aulis ſuper hac re conſultatum fuiſſe novimus, ea verò alia quæſtio eſt, in qua magna quædam & ardua latent, tum *Juris* tum *utilitatis* ratione, ſed hoc loco non attingenda, cordatiores ſemper in oculis habent, quod de Britannis olim pronunciavit *Tacitus*. *Agric. XII. 3.*

§. XXV. Supereſt, ut Tertiâ parte de iis, *quæ obſtare nobis poterant, rationibus autoritatibusve* breviter

viter diſpiciamus, nam *Exteros* & *Germanos* in contrarium tendere videas. *Illorum* tanta ratio hìc habenda non eſt, quos vel imperitia ſtatus noſtri, vel externa rerum ſpecies decepit, vel aliis de cauſis, talia in vulgus diſſeminare conſultum ſibi judicarunt. Commentari tamen meretur candor *Thuani*, qui in Digreſſione, quam de Rep. noſtra inſtituit, illam Amphyctionum conſeſſui, aut concilio Achæorum conferre non eſt auſus, quæ *cum Germania comparata, quaſi muſcam ad Elephantum*, putavit. Ex *Germanis* autem alii *apertè*, alii *tectè*, utrique ex diverſis cauſis, ſæpè etiam diverſis propoſitis hìc graſſantur. Ita videmus ſolidioris civilis ſcientiæ *imperitiam*, illiusque cum jure *Feudali* præſertim ac *civili* ſolennem confuſionem, quæ ſuperioribus temporibus loco philoſophiæ habebatur, nonnullos *præter opinionem* in hunc errorem deduxiſſe, ut in *Regalibus* & *Superioritate Territoriali* Majeſtatem ſibi aliquam confingerent, cujus multiplicationem in Imperio neceſſario etiam Reipubl. multiplicatio ſequebatur: quod exemplis non longè quæſitis confirmare poſſemus, niſi id modeſtiam juvenilis ſcriptionis excedere videretur. Specimina tamen hujus rei manifeſta apparent, in illis, qui ſtatuerunt, *contra quemvis Statum Imperij committi crimen læſæ Majeſtatis*, quique ſupinâ quadam ſecuritate vulgare illud, *unumquemq; Statum tantum poſſe in territorio ſuo quantum Cæſar in univerſo Imperio poteſt*, explicandum ſibi ſumſerunt; quoniam verò Reip. habitus non ex hujus aut illius judicio æſtimandus, ſed ex ipſa rerum indole, quarum compendium leges publicæ ac fundamentales haberi debent, condiſcendus eſt, certè vaga ſcriptorum diſciplina aut in conſignatione ſtatus diſcordia, ipſi veritati præjudicare non poteſt, multo minus *ab aliis* in argumen-

l. 2. Hiſt.

argumentum trahi debet, *unde monstra & irregularitates Reip.* veluti in opprobrium Imperii nostri extruantur.

§. XXVI. Alios *pulchritudo comparationis* illexit, vel *exterior rerum facies* fefellit, ut qualemcunque similitudinem, quâ ratione finis sui scopique civilis, aut externæ quoque administrationis, Imperium nostrum cum corporibus arctiori fœdere nexis conferri potest, ad identitatem formæ extendere non dubitaverint. Nota est *Doctissimi JCti Jacobi Gothofredi Achaica*, & quamvis Oratori facile condonari possit, quod in recensendis curandisq; morbis Imperii nostri, sub exemplo ex antiquitate petito, quod cum iisdem malis conflictabatur, quam in re præsenti, momenta specialiora indagare maluerit; alii tamē in vero serioq; judicio de statu Reip. faciendo, figuris istis Panegyricis auscultare non debuerunt. aliâs non obscurum est, quousque comparationis formulæ admitti debeant, & aliud quæritur in fortuita dissertatione, aliud in accurata explicatione. Certè variis in locis operum suorum talia de Imperio nostro, ac si perfectas Respublicas plures in se complecteretur, commentari *Conringium* videas, quæ sicut in communi loquendi usu interpretationem commodam facilè recipiunt, ita procul dubio magna *Doctissimum Virum* injuriâ afficeret, qui præcisum de Republica judicium ibi quæreret, quod suis locis, legibus Imperii satis conforme edidit.

§. XXVII. Deterior est eorum Secta, qui *apertè* legibus Imperii fundamentalibus bellum indicere non verentur, ut sublato *Reip. vinculo* in corpus aliquod *inæquali fœdere* nexū, illud reformare possint, quo proposito *librum* suum *de Statu Imperij Germanici* conscripsisse videtur *Severinus de Monzambano*, quanquam enim fluctuantibus formulis subinde indulgere amaverit, ut adversario-

versariorum disputationes, quocunque adversus ipsum inclinentur, subterfugere posset, sufficienter tamen pluribus in locis animum suum prodidit. Nos ea quæ adversus *Unitatem Reipublicæ* tendere videntur, per summa saltem capita removere conabimur. Is igitur ex classe *subditorum* penitus eximere conatur Status. I. quod *nexus feudalis, quali Imperatori status adstringuntur, nihil aliud fere efficiat, quam conditionem inæqualiter fœderati,* sed sicut totam Feudorum originem ejusmodi ibi contexuit, qualem hypothesi suæ optimè convenire arbitrabatur, ita tamen stante eâ, amplius distinguendum erat inter *nexum feudalem, simplicem* & *modificatum,* illum quidem cum summa potestate consistere posse *Grotius* nos docuit. Verùm ad Status Imperii malè applicatur disciplina ista, qui non solum *ratione bonorum feudalium juramento fidelitatis,* sed & *ratione personæ suæ juramento homagiali,* Imperatori & Imperio devinciuntur, ut non solùm *Vasallorum* onera, sed & *subditorum* munia subire necesse habeant, quod amplius demonstrant *Limnæus, Mylerus,* & alii. II. Quidni cum natura subditi consistere posset, *in ditionis suæ cives jus vitæ & necis habere,* quod in Rep. R. alibiq;, personæ non solum Magistratus charactere insignitæ, quibus scilicet jus meri Imperii lege concessum erat, sed & merè privatæ, pater ac dominus, in sibi subjectos habebant; quomodo autem III. intelligendum sit, status posse *leges condere, etiam Juri communi repugnantes, Magistratus pro lubitu constituere,* ex supra dictis patere potest. *Reditus* quidem *omnis generis sibi retinent,* sed ita, ut quæ Status provinciales fisco Principis intulerunt, Princeps in commune Imperii ærarium contribuat. *Fœdera inter se & cum Exteris ineunt,* sed salvo per omnia juramento, quo quisq; Imperatori & Imperio

c. 3. §. 4. add. c. 5, §. 28.

de I. B. & P. l. 3, 22.

de I P. IV. 7, 44. de Pr. & Stat. Imp. p. 3. c. 93.

perio obstrictus est. Posse autem IV. aliquem *in supremis tribunalibus in jus vocari, id omninò societatum natura respuit*, nam & hîc communis JCtorum regula valet, *æqualis in æqualem non habet jurisdictionem: coerceri quidem per reliquos potest, socius, enormiter in leges fœderis peccans*, sed per modum vindictæ ex jure belli, non verò per modum pœnæ & ex facultate judiciaria, prout in Statibus Imperii fieri solet, qui in jus vocantur, sententia in eos fertur, exécutioni mandatur judicialiter, judicialis autem processus non potest concipi, ne dum ut in Republica detur, sine superiore summam civilem potestatem habente, quicunque demum ille sit, nam etsi concedamus, *solum Imperatorem cognoscere super causis, quibus Princeps sua ditione ejici mereatur, non posse*, nihil aliud sequitur, quam Imperatoris potestatem ratione juris judiciarii, hoc quidem casu, Monarchicam non esse, sed cum Statibus communicatam, hoc enim volunt Status pertinere istarum causarum decisionem ad Comitia, adeoq; singulos ab Imperatore & Imperio puniri posse, & consequenter totius corporis subditos esse, unde simplicitas Reipublicæ, non autem ejusdem unitas tolleretur. Et V. quam absurdum est, illud de Statibus pertinaciter negare, unde ipsi in probatione immedietatis suæ vim argumenti pragmatici adornare non dubitarunt? nam quotiescunque ipsis controversia status movetur, hanc concludendi rationem usurpant, *se Imperatori & Imperio subjectos esse, ac alium Dominum quam Imperatorem & Imperium non agnoscere*, unde firmiter colligimus, status conjunctim sumtos ad constitutionem subjecti proprii, cui Majestas Reipublicæ inhæret, concurrere quidem, eoq; respectu neminem agnoscere superiorem, quatenꝰ autem considerantur ut singuli, ratione jurium Majestaticorum

ticorum inter Imperatorem & Imperium communiũ, Imperatoris & Imperii, ratione reſervatorum Cæſareorum, etiam ſolius Imperatoris ſubditos dici propriè poſſe, & optimo jure ſolere. Abſurdum a. non eſt, aliquem diverſo conſiderandi modo in eadem Republ. & ſummum rerum judicium habere, & civilis obſequii gloriam explere, quod in omnibus Imperiis Polyarchicis uſuvenire cernitur, unde VI. *DEI gratiam* ſolum Edictis & literis ad ſubjectos vel alios inferiores directis, præſcribunt, ad Imperatorem verò vel univerſum Imperium, ſingulari de ſe loquuntur numero, quod notavit etiam *Dn* Seckendorff. loco ſupra allegato.

§. XXVIII. Volueramus peculiariter ad ea aliquid reponere, quæ *Jo. W. Relfendſo Heromontanus*, in lib. ſuo *de ſumma Principum Germanicorum poteſtate* commentatus eſt, qui per ſingula jura demonſtraſſe ſibi videbatur, ſingulos Germaniæ Principes habere Majeſtatem, ſed quoniam pleraq; ex *Monzambano* aliisq; ſecurius deſcripta ſunt, & ſublatâ illâ ex veterum Monachorum locis communibus reproducta diſtinctione, inter *Civitatem, Principatum & Imperium*, cætera inde extructa, ſponte corruunt, non opus eſſe exiſtimavimus, ut prolixiorem operam aut tempus iis impenderemus, infelici enim admodum ingenio ſit, oportet, qui tam craſſis erroribus imponi ſibi patiatur. Atque hæc ſunt, quæ pro inſtituti ratione, de Republica noſtra, ex genuinis *fundamentis*, qualia utique in ſcholis condiſcenda ſunt, voluera-

Diſſ. de Notit. Reip. p. 76.

mus diſſertare, qui de cætero illud *Bæcleri* maximè nobis commendatum habemus: *Falluntur, qui ex libellis, & curioſorum hominum diſcurſibus, ſicut appellari volunt, noſſe poſſe autumant, quibus Reip. habitus gubernatur, aut cuſtoditur. Præſentioris diſciplinæ eſt ille profectus quem hora & dies extemporalibus intervallis diſtinguunt, & novi ſemper eventus componunt.* FINIS.

4.

C. B. D.

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
IMPERII GERMANICI, EJUSQVE STATUUM FOEDERIBVS.

I.

VAlde ferax est hac ætate Germania uti fœderum, ita judiciorum de fœderibus: inde temporum, hinc ingeniorum turbine novis subinde speciminibus seculum fœcundante. Et fœderibus quidem, corporis latè patentis tranquillitatem, securitatem, concordiam adversus quotidianos motus & pericula munire, summa & multiplex ratio jubet: in hac verò, judicandi differendive promptitudinem experiri, nemo etiam è vulgo tam abjectè sagacitatem & facundiam suam æstimat, quin licere sibi existimet: postquam præsertim exemplum, nescio quam egregium, quamq; boni ominis, introductum est, ut de summa Reipublicæ vix alii confidentius, quam non rogati, sententiam ferant. Horum autem institutum quam longè abest ab

obsequii morisque civilis rectitudine; tam longè ab illo affectat recedere ista Dissertatio: id modo attingere professa, quod ex nobilioribus exemplis ad illustrandam instruendamve publicorum circa fœdera actorum memoriam pertinere videbitur. DEUS cœptis suum favorem, & benigna Superiorum judicia adspiret!

II. Prima in omni fœderum negotio facultatis æstimatio est habenda. quam jure summi Imperii contineri, ipsa rerum, de quibus fœdera contrahuntur, & obligationis, quæ ex fœderibus oritur, indoles ostendit. Publicum enim est, quicquid fœdere agitur contrahiturve: ut non aliis quam publicis auspiciis id expediri posse intelligatur. quorum universum regimen in omni civitate majestati est innexum. Unde Senatus Romanus apud *Sallustium* non immeritò decrevit, *suo populique injussu nullum potuisse fœdus fieri.* & apud *Livium*, Postumius Consul, *non ego infitias eo*, inquit, *tam sponsiones quam fœdera sancta esse apud eos homines, apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur: sed injussu populi nego quicquam sanciri posse, quod Populum teneat.* Idem de Imperatoribus Romanis postea pronuntiandum fuit, cum in illos τὸ τὸ πολεμεῖν καὶ εἰρήνην ἄγειν ἐξουσίαν, ut Justinianus Imp. loquitur, *jus belli & pacis* Lex Regia transtulisset. cujus fragmentis docemur, nominatim Vespasiano fuisse tributum: *Utiq; ei fœdus, cum quibus vellet, facere liceret, ita ut licuit D. Aug. Ti. Julio Cæsari Aug. Tiberioq; Claudio Cæsari Aug. Germanico.*

Gid. Grot. de I. B. & P. II, 15. 1. & seqq. IX, 9.

Nov. 105. pr.

ap. Ant. Augustin. de Legib. & SCT. Pop. Rom. pag. 127.

III. Legis autem Regiæ facio mentionem, non quod inde Germanici Imperii fœdera dijudicanda existimem; sed quia vel uno hoc exemplo declarari potest, mutato Reipublicæ statu, jus quoque fœderum faciendo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [94] - 2
PUBLIC DOMAIN

ciendorum, ibi esse quærendum, ubi pro præsenti regiminis forma, summa civilis potestas existit. Quo minus ambigendum, quin in Germania quoque nostra, cum adhuc imperio verè Monarchico regeretur, penes solos Imperatores steterit fœderum feriendorum facultas. quod quidem & infinita exempla fœderum cum Græcis Imperatoribus aliisque exteris Principibus contractorum demonstrant. qualia passim obvia sunt.

IV. Adhibuisse quidem illos, in fœderibus præsertim gravioris momenti, Procerum consilium, non abnuerim: & jam Friderici I. fœdera ita describuntur, ut *consilij Primatum*, in iis expressa mentio fiat. Acta enim fœderis, quod cum Manuele Constantinopolitano Imperatore, contra Rogerii Siculi filium Guilhelmum parabat Fridericus, *Gunthero* etiam consignata, prout ab *Ottone Frisingensi* memorantur, docent: *Fridericum in Comitiis Ratisbonensibus pertractasse eius fœderis conditiones, & Primatum suorum consilio legatos in Græciam destinandos ordinasse*: Sed & postea, *cum in castris ad Anconam positis legatos eiusdem Manuelis audivisset, non nisi accepto Principum, qui cum ipso erant, consilio, eius negotij causa novam legationem in Græciam destinavisse.*

Ligur. l. de Gest. Frid. II, 115

II, 23.

V. Verum admodum imperito civilibus negotiis æstimandis, vel maligno judicio utatur, oportet, qui cum *Hippolyto à Lapide* ex talibus exemplis colligere ausit: *eius jam ævi Imperatores absque Ordinum consensu nulla potuisse fœdera contrahere.* In quibus tamen ut consensum Ordinum adhiberent, manifestissimum est, eos nulla juris necessitate adactos, sed inductos partim communi omnibus Imperantibus ratione, quæ alieni consilii usum commendat, partim ut alacrioribus ad

de Rat. stat. part. I. c. 9. sect. 1.

Farbkarte #13
Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [95] - 3
PUBLIC DOMAIN

subsidia Statibus uterentur, si qua illorum ope fœderis executio indigeret: non ut ipsi fœderi adhibito Ordinum assensu efficaciam authoritatemque conciliarent. Quemadmodum & Ludovicus Bavarus adversus Philippum Galliæ Regem cum Eduardo Anglo ipse quidem Imperatoria authoritate fœdus contraxit, & Philippo bellum denuntiavit: inferiores autem *Principes* nihil aliud *monuit*, quam ut *assisterent Imperio, ut tenerentur*: memorante Alberto Argentinensi. Addantur Henr. Rebdorffii Annales ad A.C. 1339. p. 427.

Chron. A. C 1336. p. 127.

VI. Possunt hæc, & sequentium Imperatorum fœdera, debentque adhiberi ad judicium de exceptione Statuum Imperii ferendum: quando in Comitiis Wormatiensibus, inter alia, *jure per præscriptionem & diuturnam consuetudinem quæsito, niti se contenderunt, ne Imperatori in fœdere, quod ipsis inconsultis iniviſſet, auxilio esse tenerentur*. Sed & *Limnæi* observatio inde est explicanda: laxioribus, quam par erat, terminis asseverantis: *Olim, & adhuc tempore Maximiliani I. ad fœdera cum exteris pangenda, Statuum Imperij consensum requisitum fuisse*. Cum de necessitate Juris ante Maximilianum I. id doceri utique non possit. Confer fœdus Adolphi Imp. cum Henrico Angliæ Rege: in Chron. Colm. part. 2.

An. 1508. ap. Gold. Politisch. Reichsh. part. 12. c. 4 ad Capit. Caroli V. art. 7.

A.C. 1296.

VII. Primus sanè Maximilianus fuit, qui expressa pactione, se pariter atque Status Imperii in id adstrinxit, ne ullum deinceps fœdus, cujus periculum damnumve quovis modo ad Imperium pertineret, cum exteris nationibus eorumve Principibus, à se vel à quoquam Statuum, absque præscitu & consensu annuorum Comitiorum pangeretur: in confirmatione Pacis publicæ Wormatiensis, hoc inter cætera capite inserto: Auch sollen

Handhab. des Fried. zu Worms 1495. tit. die Königl. Majest.

sollen Wir und Vnser lieber Sohn Ertzhertzog Philips/ auch Vnser Churfürsten/ Fürsten/ und Stände des Reichs/ ohn Wissen und Willen jährlicher Versamlung/ keinen Krieg oder Vähd anfahen/ noch einig Bündnuß oder Einigung mit frembden Nationen oder Gewäldten machen/ die dem Reich zu Schaden/ Nachtheil/ oder zuwider seyn möchten. Quam quidem legem *magnum sanè fructum Reipublicæ nostræ attulisse, & ad retinendum quietum huius statum fuisse longè aptissimam*, cordatissimo judicio pronuntiat *Julius Pflugius Episcopus Numburgensis*, in oratione sua ad Germanos de Republ. Germaniæ constituenda.

VIII. Videri tamen poterat ipse Maximilianus haud multo post, ejusdem vincula dissolvisse, icto insciis & inconsultis Statibus, cum Pontifice Romano, Franciæque & Arragoniæ Regibus contra Venetos fœdere Cameracensi: cujus capita & successum, *Gerardus de Roo*, *Petrus Justinianus*, aliique recensent: sed Imperator edita Tridenti, ut testatur *Mutius*, Apologia pertendebat: illius negotij eam indolem fuisse, ut moram dilationemque convocandis Comitijs, Statuumque consensui explorando necessariam neutiquam admiserit: cujus successus omnis & efficacia inde suspensa fuerit, ut clam & subito, priusquam Veneti præsensissent, expediretur. Ad hoc in antecedentibus aliquot Comitijs communi deliberatione probatum fuisse, ut contra Venetos & Turcas cum Galliæ Rege fœdus iniretur: eo certius occasione tam præclara obveniente, se de Statuum assensu præsumsisse. Quin & maturè admodum se de illo fœdere in Comitijs Wormatiensibus relationem feciisse, neq; id tum displicuisse Statibus, à nemine

A. C. 1508.

Chron. Germ. lib. 29. Goldast. Polit. Reichsh. part. 12. c. 4 p. 402, 403. Fugger. Spec. Honor. Austr. lib. 6. c. 13. pag. 1254.

certè contradictum , ab aliquibus verò ſpem ultro factam, foreut tam laudabile Cæſaris propoſitum publicis Imperij auxiliis haud ſegniter juvaretur. Nihil præterea in univerſo illo fœdere contineri , quod non ad commodum potius & honorem, quam ad periculum & detrimentum Imperii pertineret. Adeoque in hoc fœdere, quod unicè ad Sacri Imperij Nationisque Germanicæ dignitatem, gloriam, incrementum, tranquillitatem, pacem denique tenderet, conſenſum Statuum non fuiſſe neceſſarium; ſed ſibi authoritate Imperatoria ſuopte arbitrio decernere jus fasque fuiſſe.

aliter Electorũ conſilium explicat Strauchius diſſert. Exot. IV. th 17. Sleidan. Comment. lib.1. p. 29. Capitul. Carol. V. art. 7.

IX. Sanè quod eventu hujus exempli patuerat, evenire utique poſſe fœderis contrahendi opportunitatem, quæ ſe non patiatur ad Univerſalia totius Imperii Comitia differri, moti videntur Electores, ut in conditionibus, quibus Carolo V. Imperium detulerunt, ad Electorum duntaxat aſſenſum , Imperatorem in fœderibus Imperii nomine faciendis adſtringerent: talem illi formulam præſcribentes: Wir ſollen und wollen für Uns ſelbſt/ als Römiſcher König / in des Reichs Händlen / kein Bündnuß oder Einigung mit frembder Nation/ noch ſunſt im Reich machen / Wir haben dann zuvor die Sechs Churfürſten deßhalben an gelegenen Mahlſtätten zu zimlicher zeit erfordert/ und ihren Willen / ſamtlich/ oder des mehrern theils auß ihnen / in ſolchem erlangt.

X. Non permiſit quidem turbatiſſimus hoc & ſuperiori ſeculo Reipublicæ Status, absque contrariis exemplis ad poſteros hanc ſanctionem deſcendere: cujus tamen authoritas, repetita ſubinde in ſequentium Imperatorum Capitulationibus eâdem formulâ , adverſus

versus noxam & præjudicium talium exemplorum stabilita est: addita præsertim in Capitulatione Ferdinandi III. declaratione memorabili: Daß der Churfürsten Willen auff einer Collegial-Zusammenkunfft/ und nicht durch absonderliche Erklärungen (es wäre dann/ daß publica salus und utilitas ein mehrere schleunigung erforderte) erlanget werden solte: Und der jenige modus, so bey dem Pragerischen Frieden ist gehalten worden/ zu keinem præjudiz oder consequentz angezogen noch außgedeutet werden. art. 7. Vid. Limn. ad Capit. p. 689.

XI. Estque adeo Capitulatio Caroli V. hac in re pro norma cæterarum retenta; donec Pace Westphalica universi Ordines uti in plerorumque aliorum jurium Majestatis, ita in juris quoque fœderum consortium penitus recepti sunt; dicta in ipsis Pacis Tabulis atque sancitâ lege: *ut sicubi Pax aut fœdera publico Imperij nomine facienda essent, id non aliter fieret, nisi de Comitiali liberoq; omnium Imperij Statuum suffragio & consensu: utq; in deliberatione super tali negotio Status jure suffragij sine contradictione gauderent.* art. 7. §. gaudeans. Unde nata postea in Capitulatione Ferdinandi IV. formula: Wir sollen auch in des Reichs-händlen keine Verbündnuß machen/ Wir haben dann zuvorhero der Churfürsten/ Fürsten und Stände Bewilligung hierzu erlangt/ es wäre dann daß publica salus und utilitas ein mehrere Beschleunigung erforderte/ da sollen und wollen Wir dann der sieben Churfürsten sambtlichen Willen zu gelegener zeit und Mahlstatt/ und zwar auff einer Collegial-Zusammenkunfft und nicht durch absonderliche Erklärungen/ biß man zu einer gemeinen Reichs-Versamlung kommen kan/ erlangen. art. 7.

XII. Pote-

XII. Poterat hac ratione videri libertati pariter jurique Ordinum, & utilitati publicæ prospectum; cujus ratio se non semper patitur secundum regulæ communis tenorem explicari: Orta tamen jam tum inter Collegium Electorale & cæteros Status, de Capitulatione concipienda, contentio, isti Legi, quam Ferdinando IV. præscripserunt Electores, graviter obstitit: & accedentibus subinde novis irritamentis, Deputatos ad Conventum Francofurtensem, incitavit, ut in monitis suis quæ Electori Moguntino in Comitiis Electoralibus, novo Imperatori in locum Ferdinandi III. creando, destinatis, exhibuerant, *illam publicæ salutis ac utilitatis* exceptionem, in Capitulatione recens condenda penitus omittendam contenderent: Daß keine Verbündnuß in Reichs-händlen ohne der gesamten Stände auff einem Reichstag erfolgende Bewilligung zu machen. Auch von dieser Regul kein casus zu excipiren / noch unter dem Vorwand einer ob publicam salutem & utilitatem erforderten Beschleunigung / der Fürsten und Stände Bewilligung zu übergehen; also der Versic: Es wäre dann / das publica salus &c. außzulassen. Sed &, cum ista quoad fœdera Imperii nomine ineunda, non ultra profecissent, quam ut exceptioni *de salute & utilitate publica* Ferdinandeæ Capitulationis, in Capitulatione Leopoldina declaratio adjiceretur, wie sonsten in allen andern des Reichs Sicherheit concernirenden Sachen: protestatione solenniter oppositа, nominatim quoad hunc quoque articulum, monitorum suorum authoritatem, & jura Statuum, sive tueri, sive vindicare instituerunt: cuius tamen protestationis usu ne in casibus per extraordinaria remedia expediendis excitari sentiret Germania, DEUS hactenus clementer avertit.

d. 17. April. 1658.

Auth. der Grundf. part. 3. c. 3. p. 220.

art. 10.

Theatr. Europ. part. 8. p. 490.

d. 8. Aug. 1658.

XIII. Cæ-

XIII. Cæterum quod ſuperius annotatum eſt, Monarchico Imperii ſtatu, ſoli Imperatori jus fœderum faciendorum competiiſſe, illud initio quidem hanc vim habuit, ut omnes alii non à conſortio duntaxat, ſed prorſus etiam ab uſu huius juris excluderentur. Neque potuit ſanè fœderibus inter Status & Imperatorem, vel inter Status ſolos eſſe locus, cum indivulſo ſupremi Imperii ſpiritu, caput cum ſuis membris, ipſaque membra inter ſe ita connecterentur, ut neque ad defenſionem neque ad connexionem momenti aut roboris quicquam ab ulla confœderatione accedere poſſet. At poſtquam provinciæ Statuum, ſi non jure ipſo, juris tamen uſu & adminiſtratione ab Imperio ſejungi, ipſique hinc Status tum ab Imperatoribus, tum à ſe invicem, privilegiis, conſiliis, turbis diſgregari cœperunt; ne penitus iſta Imperii moles dilaberetur, vel certè ſinguli Status, qui præſertim viribus & potentia minus pollerent, publicis motibus abſorberentur, fœderibus aliquoties haud infeliciter eſt proſpectum. Valde ab initio renitentibus illis, qui diſſipati diuturno interregno Imperii partes in prædam ſibi ac ſpolium ceſſuras ſperaverant.

XIV. Neque alio certè fundamento innitebantur, antiquiſſima illa, quæ feruntur, legitimorum inter Status fœderum exempla: quam quod unicè neceſſarium expediendæ ſalutis, tuendæve tranquillitatis præſidium continerent. Primum huius generis fœdus memoratur Rhenanum: cuius occaſionem *Author Chronicæ Auguſtenſis* ita refert: *Interea Wilhelmo Rege Romanorum cum Comitiſſa Flandriæ & Friſonibus bellica agente negotia, civitates Rheni, quaſi deſtitutæ Regia defenſione, vinculo ſocietatis fortiſſimè ad invicem conjunguntur;* A. C. 1254. ad A. C. 1255.

Chron. A. C. 1255. Nec multo aliter *Albertus Stadenſis*: *Quidam validus civis in Moguntia cœpit hortari concives ſuos, ut pro pace reſtauranda juramento ſe invicem conſtringerent. Conſenſerunt ei & aliæ civitates plurimæ.* Quanquam illa etiam ex ipſo illius tempeſtatis turbatiſſimo ſtatu, *Lehmanno* præſertim diligenter deſcripto, ultro pateſcit: uſuque fœderis eius amplius declaratur, de quo ſequitur in eadem *Chronica Auguſtenſi*: *Capitaneum eligunt confœderati, telonia eiusdem fluminis, quæ à pluribus fuerant aggravata, removent, vicinos Principes & Comites ſuæ ſocietati adhærere compellunt, undique in finibus ſuis pacem ordinantes optimam & hactenus inauditam.* Præceſſerat de eodem fœdere, per quandam anticipationem: *Wilhelmi Regis tempore civitates apud Rhenum cum Principibus optimam Pacem ineunt, eligentes ſibi Capitaneos, deſtruentes caſtra nociva & injuſta telonia removentes.* ubi catalogus quoque confœderatorum exhibetur. quos & *Aventinus Annal. Bojor. lib. 7.* & *Cuſpinianus in Cæſaribus* recenſent. Authorem fœderis Watbodonem nominat *Albertus Stadenſis.* cuius etiam indicio diſcimus: *non placuiſſe rem Principibus, nec militibus, ſed neque prædonibus, & maximè his, qui habebant aſſidue manus pendulas ad rapinam: illos quippe cauſatos, eſſe ſordidum, mercatores habere ſuper homines honoratos & nobiles dominatum.* quod quidem fatum huius fœderis maturavit: ſiquidem *iſta pax*, ut habent verba *Chronicæ Auguſtenſis, more Lombardorum civitatum inchoata, propter malitiam reſiſtentium non diu duravit*: & ut alibi eiusdem *Scriptor* loquitur, *omnia redierunt in priſtinum malum ſtatum.* Plurimum tamen fœderis huius exemplum inſecutis temporibus profuit poſteritati: *Similibus* enim *conſiliis*, quod *Peuceri*

Chron. Spirenſ. lib. 5. c. 92.

ſub A. C. 1247.

in Wilhelm.

Chron. l. 6.

judici-

judicium est, *deinceps & malis publicis obviam itum, & multorum audaciam ac molitiones repressas esse, constat.* Nec dubitavit *Illustris Conringius* pronuntiare: *tranquillitatem publicam, & libertatem popularem aliquot per secula talibus fœderibus deberi: ac licet nonnunquam excesserint modum, si verum tamen fateri velimus, absque hoc remedio extremam servitutem omnes dudum fuisse oppressuram.* *de Vrb. Germ. th. 104. add. th. 94.*

XV. Hanseaticarum Urbium conjunctionem, num referre in hunc censum debeam, dubito; tempore quidem, ex probatiore *Conringij* calculo, proximè subjungendam fœderi Moguntino: sed si quis eam ex principio suo æstimet, non tam fœderis publici, quam privatæ societatis jure censendam. nisi quod superiori demum seculo ad veri cuiusdam fœderis formam **autho**ritatemque propius evaluisse videtur: quando ad negotia privatos contractus excedentia cœpit extendi. quo ipso vicinis, & quorum præsertim in ditione membra eius erant, suspecta vel invisa illius potentia reddita est; variisque decrementi causis, quas *Conringius* prudenter edisserit, confluentibus, ipsa mox consociatio labefactata, tantũ nõ evanuit. notitia eius unde petenda sit, videri potest in *Bæcleriana S. R. Imperij Notitia lib. XI. cap. 4.* *de Vrb. Germ. th. 95* *de Vrb. Germã. th. 103.*

XVI. Interim in superiori Germania introducto semel exemplo, quomodo turbato Reipublicæ statu singula Imperii membra saluti pariter suæ & quieti publicæ efficacissimè possent consulere; deinceps quoties similia pericula ingruebant, ad probatum tam salubri experimento remedium confugere, ratio fuit; quæ in morem denique & consuetudinem abiit. Inprimis fœdera Clientelaria frequentari cœperunt: quæ vetustissimis Germaniæ incolis jam usitata: formato sub

Francicis & Germanicis Imperatoribus Reipublicæ ſtatu, rariora vel privatorum duntaxat contractuum formulis conſtricta; tunc cum ad antiquam ſegregati regiminis faciem vergere Germania videretur, infirmioribus in Potentia validiorum, unde exitium imminebat, tutelam, præſidiumque præſtitere. quanquam & haud paucos conſtat hac potiſſimum via in ſervitutem migraſſe, quod in clientelam nimium potentis Patroni conceſſerant. Exempla talium fœderum congerere infinitum foret: & eſt jam hic labor ab aliis occupatus; inprimis *Martino Magero* operis ſui de *Advocatia armata cap. 5. n. 496.* & alibi paſſim.

XVII. Sed & in cæteris Germanicis foederibus recenſendis, luculenta conſignatione præcipuorum ſpeciminum magnam laboris partem nobis lucrifacit *Chriſtophorus Lehmannus Chron. Spir. lib. 5. cap 123. lib. 7. cap. 3. cap. 12. cap. 27. 31. 46. 47. eiusdemque libri capitibus ſubſequentibus plerisq;*. In cuius ſupplementum, non ingratum rerum Germanicarum ſtudioſis officium nos eſſe præſtituros confidimus, ſi ex ineditis monumentis, aliquot duntaxat exemplis, pro modo huius diſſertationis, hiſtoriam foederum Germanicorum locupletaverimus. Eſt autem inter illa memoratu digniſſimum, quod initio ſeculi decimi quarti inter Albertum Auſtriacum Regem Romanorum, Epiſcopos & civitates Argentinenſem & Baſileenſem, tum Alſatiæ ſuperioris & inferioris Landgravios in hanc formulam initum eſt:

Adde Warem. ab Ehrenberg Meditat. pro fœdere lib. 1. c. 2. Beſold. diſſ. de Fœder. c. 3. Knipſchild de civitat. Imp. II, 2. 3. 9. Bernh. Hertzog. Chron. Alſat. lib. 2. p. 69. &c.

Wir Albrecht von Gotz gnaden / der Römiſche Kunig / Friderich von derſelben gnaden Biſchoff zu Strazburg / Peter Oech von Gotz gnaden / der Biſchoff zu Baſile / unn wir die Landgraven in dem ober / unn

unn in dem nider Elsatze / Peter von Schönnecke der Meister unn der Rat / unn die Burgere gemeinliche von Strazburg / Conrat der Schaler / den man sprichet Rommelher / der Meister / unn der Rat / unn die Burgere gemeinliche von Baßile / tunt kunt allen den / die disen brief gesehent und gehörent lesen; daz wir der Kunig bi unsern Küniglichen truwen / unn wir die andern / bi gesivornem eide / den wir getan hant / überein sint kumen / eines gemeinen Lantfriden / von der Selse untz an die Bürse / unn von dem Rine untz an den Wasichen / alse daz Bistum von Basile gat / unn unsite Rines / alse daz Bistum zu Strazburg gat / hinan untze sante Johanneses Metz / unn dannan über vier iahr nach ein ander / ane undersatz vur uns unn vur alle die Vnsere / also doch / daz wir der Bischoff von Baßile / unn die Burgere von Basile iensite Rines ungebunden sint / unn aber hie dissete Rines sint wir nut me schuldig noch gebunden zehelfenne / wande von der Birse untz an die Sorne / unn iensite Rines / so ist nieman von des fridens halben gebunden durch walt zehelfenne / Alle pfaffen unn alle geistliche lute / unn alle Gotzhuser / die sulent in diseme friden sin / unn sulent in irme rehte / unn in irme vrihette bliben / unn alle edele lute / graven / frien unn dienstlute / die diesen friden gesivoren hant / zwischen den vorgeschriben zilen / oder noch schwernde werdent / unn alle Stetde unn Burge / unn Vestenen / unn dörfer / unn Dinghöve / die in diseme friden gelegen sint / der soll inclichez bliben in sine rehte / die Stat zu Strazburg sol mit namen bliben in irme rehte / unn in irre Vrihette / ouch sol die Stat zu Baßile mit namen bliben in irme Rehte / unn in irre Vrihette. Wir Friderich der Bischoff von Straz-

burg/ unn wir Peter der Bischoff von Basile verie-
hent des/ daz weder wir/ noch ieman der in unsern Bi-
stumen ist gesetzten/ beholfen sol sin von dies Lants-
fridens halben umbe deheiner slhohte dingen die besche-
hen sint vor den Winachten/ die nu warent. Die nu-
wen zolle sulent auch abesin / swa si gemachet sint uf
dem lande/ oder uf dem wassere / unn swer disen friden
brichet/ beschihet daz in unserene dies Kuniges gereh-
te/ daz sol der / an dem er gebrochen ist / oder sine frunt
an unser pflegere/ die hie nidenan genennet sint / selbe
vordere/ oder mit gewissen botten unn brieven unn su-
lent unsere pflegere zehent ane geverde uf den eit bot-
schaften/ unn embieten dem / der den friden gebrochen
het / daz er in den nehesten ahte tagen daz wider tu unn
bessere/ daz er also begangen het / tut er dies nut / so sol
derselbe unser pfleger alle die an die von aller der vorge-
nanten Herren wegen dirre fride gesetzt ist / die hie nide-
nan mit namen geschriben stant/ die sol er alle manen
mit botten/ unn mit brieven uf den eit/ ob er ez mit si-
ner macht ane sie nit volle enden mag ane geverde/ unn
sulent die denne als ez hin nidenan bescheiden ist/ in den
nechsten ahte tagen der nach so sie genannt werdent/
bi irme eide mit solicher helfe unn mit solicher macht/
als sie alle oder die zweiteil under in überein kument/
uf den eit den twingen / der den friden gebrochen het/
daz er wider tu unn bessere / daz er wider den friden ge-
tan het/ mag aber er ez ane die andern gebessere mit si-
ner macht/ so sol men niemanne me manen umbe helfe;
Wirt aber dirre friden gebrochen in unserme des Bi-
schoffes gerehte von Strazburg so sol mans vordern
alse da obenen geschriben stat an die / die von unserem
wegen derzu gesetzet sint / unn hie nidenan geschriben
stant/

ſtant / unn ſulent die denne uf den eit beide umbe daz wider tun/ unn umbe daz beſſern tun / unn gebaren in alle wis/ alſe da obene von dies Kuniges pflegeren geſchriben ſtat; In dirreſelben wiſe ſol men tun ane alle geverde/ obe der fride gebrochen wirt/ do mens an den Biſchoff von Baſile / oder an die Lantgraven in ober unn under Elſatze vordern ſol / unn ſulent die / die von wen wegen derzu geſetzet ſint/ unn hie nidenan geſchriben ſtant/ derzu tun uf den eit in alle wis/ alſe da obene geſchriben ſtat. Wirt aber er gebrochen / do ez die Burgere von Strazburg ane gat/ da ſol mens vordern ane den/ der denne wiſſenthaft Burgermeiſter iſt / unn ſol der deme uf den eit ſchaffen / ſwelich Burger von Strazburg den friden gebrochen hat/ daß er / daz darwider tu/ unn beſſere in den neheſten ahte tagen; Geſchehe daz nicht/ ſo ſulent die andere Burgere alle von Strazburg unn die anderen des fridens eitgenoſſen den twingen / alſe davor von den andern geſchriben ſtat. Zuglicher wiß ſol der Burgermeiſter von Baſile tun/ obe dirre fride gebrochen wirt / do ez die Burgere von Baſile ane gatt zu beſſerende alles mit der Beſcheidenheit / die hie nidenan geſchriben ſtat. Alle geſte unn alle frömede lute ſie ſint varnde blibende oder weſende in dem vorbeſcheidenen begriffe / die ſulent diſen ſelben friden han/ als es da obenan beſcheiden iſt. Wirt ouch ieman gevangen in dis frides begriffe/ unn wirt darus gefüret/ da ſulent alle diß fridens eitgenoſſen bi dem eide ir helfe/ unn ir maht zutun/ daz der gevangene lidig werde/ unn ſolch unreht gebeſſert werde mit irre maht/ alſe die überein kum̃ent uf den eit an die dirre fride geſetzet iſt/ ſie alle oder daz zweiteil under in. Wurde aber der Lantfride gebrochen obwendig der Birſe untz an

den

den howenstein / unn untz an Goldenfels derzu sint die/ die inewendig des Ockenbaches gesetzen sint/ helfe nicht gebunden/ unn sulent aber alle die/ die obwendig gesetzet sint helfe untz dargebunden sin / Richet öch ieman deheine tot gevehte oder wunden/ die untz her geschehen ist/ und noch unversünet ist / do mitte ist dirre friden nut gebrochen/ swer aber vurbas wunt wirt/ den sol men rihten / alse men in von wunden rihten sol/ unn swer erschlagen wirt/ des frunden sol men rihten/ alse men davon ze rehte rihten sol in den nehesten ahte tagen. Men pfendet öch wohl umbe kuntliche korngulte / unn wingulte/ unn zinse/ unn gat daz öch nut an den lantfriden / anderes soll nieman den andern pfenden ane gerihte. Hett sich aber ieman verbunden mit sinen brieven/ daz men in pfenden sule ane gerihte / den soll men pfenden an sine eigene / an sine erbe/ an sine lehene / unn an sine pfande. Hett aber ein Gotzhus oder ein Closter-gut oder lute darüber er voget ist/ an dem gute unn an den luten soll men in nut pfenden/ swa die/ an die dirre fride gesetzet ist / alle oder die zweiteil überein kumẽt uf den eit daz ein Herze/ oder ein Statt/ oder ein Burg / oder ein Dorf / do der fride gebrochen wirt/ selbe mugent gebessern / daz da mitte der fride gebrochen wirt/ do sol men niemant me zu manen umbe helfe. Da sie aber überein kumment uf den eit alle oder die zweiteil/ daz men helfen soll/ swer denne der nicht kumet/ mit solicher maht ane geverde / alse sie überein kument uf den eit/ der sol meineidig unn truwelos unn erlos sinn/ unn sol uswendig dis frides sin / unn soll men abe ime rihten / unn en sol ime nieman rihten/ swa mitte dirre friden gebrochen wirt/ das soll men wider tun / unn bessere alse die an die ez gesetzet ist/ sie alle

oder

oder die zweiteil under in uf den eit überein kument. Were aber daz sie sich davon mahtent / unn die besserunge verzugent durch mutwillen / so sulent si meineide sin / unn uswendig dis fridens sin. Irret aber ir deheinen eheftiger not / oder herren not / oder einre lihte sturbe / so sol der herre von dies wegen er darbi was / einen andern darzuschicken an sine statt ane alle geverde; der solle öch denne sweren / alse der erste gesworen hätte / unn so er geshwort / so ist der eit stete; alle die gut / die zu erben geluhen sint von alters her / die sulent in der gewonheite stan / als ez herkumen ist / diewile dirre fride wert / swer disen friden niht geswehrt / iederman vor sinne rihter in den nehesten zwein maneden / so dirre fride gekundet wirt von Stetten zu Stetten / von Burge zu Burge / von dorfe zu dorfen / die sol men dornach nut me empfahen in disen friden / unn soll ime öch nieman rihten / unn sol men abe ime rihten; Sprichet aber der rihter / er habe nut gesworen / bezuget er denne mit zwein ersamen mañen / daz er gesworen habe / dieß sol er genießen; Ist aber ieman uswendig landes / oder siech / oder gevangen / so er dies entladen wirt / so gat alrerst dise satzunge überein. Die Prelaten / die Tumherren / unn die pfaffen die sint dies eits erlassen durch erbarkeit. Diß sint / die wir der Kunig Rihtere über den friden geseßet hant von unseren wegen Johannesen Vlrichen von dem Hus / Johannesen den Schulhteißen von Ohenheim; So han wir der Bischoff von Strazburg von unsere wegen geseßet Herren Cunen von Geispoltzheim / unn Herren Cunen von Butenheim / unn wir der Bischoff von Baßile / Johannesen von Wartenvels / der unser pfleger ist zu Schwartzenburg; So han wir die obere Lantgraven von unsere

wegen geseßet Herren von Schönenburg / der gesessen ist zu Enßißheim; So ist von dies nideren Lantgraven wegen / Herr Walter von Matzenheim; So ist öch von der Burgere wegen von Basile / der ie Burgermeister ist; So hant öch die Burgere von Strazburg iren Burgermeister / der sol ie einen zu imenemen / der die drizehen wochen vur sich mit ine vare; Daz diß war unn stete sie / darumbe han wir die vorgenanten Herren unn Stette unser ingesiegele zu einer urkunde an disen brief gehencket / der wart besigelt / do men von Gotz geburte zalte drizehen hundert iar / unn ein iar.

Fridericus, Argentinensis Episcopus, cuius in foe-
A. C. 1301. dere mentio extat, is est, de quo *Albertus Argentinensis* scribit: *Post Conradum de Liechtenberg, frater eius Fridericus Præpositus Argentinensis, valentißimus in armis, in literatura nullus, ad amicorum instantias quasi invitus, in Episcopum est promotus.* Sicut autem foedus istud pacis publicæ jurisque & libertatis tuendæ cura ultro commendabat: ita ut ad abolenda nova vectigalia nominatim dirigeretur, magna tum, &, invalescente indies isto concussionis & novo quodam latrocinii genere, singularis ratio impellebat. Simili id quidem instituto, quo jam sub Ottone IV. memorante *Gotfrido Monacho, Rex & cæteri Principes juraverunt firmam pacem terra marique servandam, omnesque injustas exactiones vectigalium deponendas.* Ac Albertus quidem inprimis se his exactionibus adversum ostendit bello, quod altero statim ab inito isthoc foedere anno, cum Moguntino & Colonienſi Archiepiscopo *cæterisque telonium supra Rhenum accipientibus* gessit: cuius causam, narrante
p. 62. *Chronico Colmariensi*, Albertus ipse Pontifici significavit:

quod

quod Domini Archiepiſcopi ſupra Rhenum fluvium, per telonium injuſtas exactiones facerent, & totam terram graviter perturbarent.

XVIII. Anno eiusdem ſeculi trigeſimo octavo, quo foedus inter quatuor civitates Argentinam, Spiram, Wormatiam & Moguntiam, *Lehmanno* quoq; relatum, contractum eſt, pleræque etiam urbes Alſaticæ cum Epiſcopo Argentinenſi Berchtoldo, cuius vitam *Albertus Argentinenſis* deſcripſit, Alberto Hohenburgico, aliisq; vicinarum regionum Præſidibus dominisve, contra Arnlederum quendam & alios, qui Judæorum impugnandorum obtentu totam viciniam turbabant, his conditionibus ad mutuum auxilium ſeſe adſtrinxerunt: *Chrō. Spir. lib. 7. c. 31.*

Wir Berchtold von Gottes gnaden Biſchoff zu Straſburg/ Graff Albrecht von Hohenberg / Landvogt im Elſaße / Johans von Hallewiler pfleger in Suntgowe an der hoherbornen Fürſtenſtat der Hertzogen von öſterreich / Johans Vlrich vome Hus derſelben Fürſten / vogt ze Enſißheim / Ruter Cunrat Wernher von Gottes gnaden Appet ze Murbach/ Johans von Rappoltzſtein/ Herrn in der obern ſtat/ Johans und Anshelm/ Herren von der hohen Rappoltzſtein/ und darzu wir die Meiſter / die Räte und die Burgere gemeinlich dirre nahgenanten ſtetden Straſburg / von Kolmar / von Hagenawe / von Schlettſtadt/ von Oehenheim / von Roßheim / von Mülnhuſen/ von Keiſerſperg/ von Turcenheim / und von Münſter/ von Briſach / und von Nuwenburch tun kunt allen den / die diſen brief anſehent und hörent leſen/ daß wir dur unſer und des landes nutz/ fride/ und

notürft gemeinliche und einhelleckliche mit einander überein sint komen / aller der dingen / die an disem brief hie nachgeschrieben stant / und hant uns öch des zesammen verbunden bi dem eide ane alle geverde. Des ersten sint wir überein komen also / were das dehein uflof hinathin geschehe imme lande uf die Juden von Arnleders wegen / oder siner helfer / welme Herren oder Stat das geschehe / die an disem briefe geschriben stant / welen es denne aller nechst under uns were / die sönt es weren mit der hand bi dem eide / ub sie mögent ane geverde / alsbalde sis befindent / mögtent siß aber nicht behobten / so sönt sie die anderen Herren und Stetde manen / die sich hie zu verbunden hant / uud sönt in öch denne die unverzogenlich ze helfe komen / öch bi dem eide / ane alle widerrede. Were öch / das dehein mishalle werde oder uflöf in den vorgenanten Stetden von den Juden wegen / in welre Stat das were / wes denne der mehrere theil des Rates in der Stat uberein kommet / da der uflöf geschehen were / das sol furgang han / und sol de kein Herre / noch Statt vorgenant / deren keine empfahen ze burger noch enthalten / die denne von der getete wegen von der Statt verwisen wurdent / da der uflöf geschehen were. Were öch das ieman da wider were in der Statt / da der uflöf geschehen were / und es der mere theil der Stetde rat nit behobten mögte / so sönt wir die vorgenanten Herren und Stetde alle denne der Statt beholfen sin bi dem eide ane alle widerrede alßbalde wirs bevindent / uf die / die denne in der Statt dawider wollen sin. Diß alles und zeglicher wis sol öch uns den vorgenanten Herren behalten sin ane alle geverde. Wir die vorgenanten Herren und Stetde sint öch einhelleckliche miteinander uberein komen / also / daß

wir

wir funfzehen hant uſſgenomen/die an der erſten getete ſchuldig ſint von den iuden wegen / und ſint als / daß wir der lib und gut went angrifen und pfenden/wa wus vindent/ und ſönt dis den Herren und Stetde verbotſcheften under den ſie denne ſitzend/ daß ſu ſis weder huſen/ noch hofen; Enthielten ſi ſu aber darüber/ es ſyen Herren oder Stetde nach der botſchafft/ ſo wir in denne darüber geſant hant/ wider den ſönt wir denne öch ſin in allem rehte/ als wider die vorgenante funfzehen perſohnen ane alle widerrede. Were öch daß dehein Herre/ Dienſtman / oder Ruter oder Knecht vorgenant ieman funder/ der an diſen ſachen ſchuldig were/ und under in geſeſſen were irre Lute / den mögent ſi darumbe rehtvertigen / als irren eren wohl anſtadt zetunde/ und tunt daran dehein unreht. Zeglicher wiß die vorgenanten Stetde öch ir burger. Es iſt öch under uns den vorgenanten Herren und Stetden nieman dem andern ſchuldig zehelfende von der erſten getete wegen denne uf die vorgenanten funfzehen. Stunt öch hinanthin dehein uflöf uf imme lande / oder in den Stetden vorgenandt von den juden wegen hinnant ze unſere frowen mes der Jüngern ſo nehſt kunt und dananthin uber ein jahr das nehſte nahenander darumbe ſönt wir die vorgenanten Herren und Stetde iemerme einander beholffen ſin bi dem eide untz das ſin ein uftrag wird gemacht und verriht ane alle geverde. Were öch/ daß dehein ander Herre oder Stat zu uns in diſe verbuntniſſe wolten / die mögent wir die vorgenanten Herren und Stetde wol zu uns nemen/ ub es uns wol gevellet an alle geverde. Die vorgenante verbüntniſſe und was an diſem briefe geſchrieben ſtat / das globen wir die vorgenanten Herren und Stetde alles ſtete zu han-

de bi den eiden/ so wir darumbe getan hant zen heiligen ane alle geverde/ und nicht hiewider zetunde in deheine weg und umb ein offen urkunde aller der vorgeschriebenen dinge/ daß si war und stete bliben ane alle geverde / darumbe hant wir die vorgenanten Herren und Stetde unseren Ingesigel an disen brief gehencket für uns/und für alle die/die zu uns gehörent. Dirre brief wart geben zu Kolmar an den nehsten Zinßtage vor unsers Herren Gottes uffart nach siner geburte drizehen hundert jar/ und in dem ahtoden und drissigosten jare.

XIX. Secutæ sunt ligæ Alsaticæ aliæ magno numero; quales apud *Albertum Argentinensem* aliquot occurrunt: in quibus Rempublicam præsertim Argentinensem fidei pariter erga Imperatorem, & juris dignitatisque suæ maximè semper observantem fuisse, ista potissimum specimina demonstrant. Cum Berchtoldum Episcopum iteratis mandatis terreret Pontifex Romanus, ne Imperatori Ludovico Bavaro homagium præstaret; cæterique fœderis Alsatici socii nec precibus, nec armis quicquam apud Episcopum adversus illa proficerent; tandem Argentinenses, (quæ verba sunt *Alberti*,) *inito consilio Episcopum nisi concordaret cum Principe, diffidarunt. Tunc Episcopus in expensis exhaustus, à suis derelictus, metuensque se à suis oppidis excludi, propter favorem Argentinensium anxius, licet paulo ante in Capitulo suo respondens Consulibus Argentinensibus, dixit: Potius se velle reverti in ordinem suum Teutonicum, quàm Ludovico Principi homagium exhibere: Spiram Principem accedens, sibi homagium fecit, & regalium suorum ab eo, tanquam Imperatore, investituram accepit.* Ejusdem *Alberti* testimonio discimus, Argentinenses graviter obstitisse Rudol-

Chron. p. 132. & in Gir. Bertold. p. 176.

Chrō. p. 159.

Rudolpho Palatino, cum is *contra morem antiquum Alsatici fœderis, nonum cognitorem, qui ante fuit Argentinensium, civitatibus Imperialibus dandum contenderet.* Neq; minus acriter adversus Episcopum propugnarunt jus aliud, quo ipsis, solis, excluso ab eadem facultate Episcopo, *in suo* (damno sc. contra pacem) *sibi illato, cognoscere licebat.* *de IX. cognitoribus G. Albert. in Berchtold. p. 174.*

XX. Tametsi autem, arctior instituti nostri ambitus sit, quam ut prolixiores digressiones admittat; à scopo tamen alienum esse non arbitramur, si ad illustrandum locum, in quem fœderum Alsaticorum mentione delati sumus, verbo admoneamus, inclytam Civitatem Argentoratensem aliquoties, fœdere, cum Capitulis Cathedralis, Thomanæ, ut & cæterarum Ecclesiarum inito, ipsum Episcopatum ab imminenti exitio servavisse. Cum præsertim Guilhelmus de Dietsch Episcopus, *postquam Episcopatum sibi commissum pene continuis contributionibus & collectis,* ut *Franciscus Guillimannus* loquitur, *miseris modis exagitasset,* pleraque eius oppida & arces in peregrinas manus transferre moliretur: & adversus Capituli intercessionem, pluribus sociis partes suas firmasset. Quo tempore nullum aliud Capitularibus præsidium reliquum fuit, quam ut causam suã Senatui Argentoratensi dijudicandam commendarent; à quo etiam in fœdus sunt recepti; sicut excerpta sequentia ostendunt: Wir der Dechant und das Capittel gemeinlich der merere Stift zu Straßburg kundent meniglichen mit diesem brief / als Herr Wilhelm von Dietsch wilent Bischoff zu Straßburg des Bistums / und unser Stifte / Sloße / Stette / land und lute on unser wissende und willen in frömbde hende gegeben hat / untz an die Statt Oberkirch / die von ihrer erbarkeit und hider- *Episc. Argent. in Guilelm. II.*

biderbekeit sich nit von unser Stift entfrömden wollent laßen/ daß Herr Wilhelm doch gethan het wider den eid / den er uns geshworen hat. ꝛc. Darumb wir auch das Sloß Oberkirch zu unsern händen genomen habent/ dagegen aber Herr Wilhelm von Dieſt sich wider uns setzet; und wir dise sache den Erbaren/ Wisen/ dem Meister und Rat der Statt Straßburg fürgeben habent und geclaget / als unseren guten freunden ꝛc. Darumb sint wir mit denselben Meister und Rat zu Straßburg/ und sie mit uns darüber gesessen/ und hant uns mit einander vereinet / und zusammen verbunden und verpflicht / daß Herr Wilhelm von Dieſt/ oder ieman anders/ wer er were / uns bedersite helfferen leidigetent/ schedigetent/ daß wir darumb einander nit sollen noch wollent laßen/ wanne wir sullent einander getreulich geraten und beholffen sin gegen allen den/ die uns bedersite sementlich oder besunder also leidigetent an alle geverde. ꝛc. Montag vor Annunc. Mar. 1405.

Quis conatuum Guilhelmi exitus fuerit *ex Francisco Guillimanno* discere liceat: cujus narrationi *MSCta* etiam *Chronica* adstipulantur. Sed nec minori commodo anno eiusdem seculi quadragesimo septimo, ad Reipublicæ nostræ tutelam confugit Capitulum, inito denuo fœdere: quo memorabile etiam exemplum juris atque libertatis suæ edidit Civitas; licere sibi contra quoscunque aggressores, inquilinis suis haud secus ac civibus defensionem atque patrocinium præstare: sicut ipsis quoque eius fœderis tabulis expressum est.

XXI. Cæterum ex prædictis abunde puto intelligi, quæ causa Carolum IV. Imperatorem impulerit, ut
Tit. 15. in *Aurea Bulla*, postquam Friderici I. legem adversus

detestan-

deteſtandas conſpirationes & conventicula, ſeu colligationes illicitas, in civitatibus & extra, vel inter civitatem & civitatem, inter perſonam & perſonam, ſive inter civitatem & perſonam; inſuper & confœderationes & pacta, repetiiſſet; exceptas tamen vellet *illas confœderationes & ligas, quas Principes & civitates ac alij ſuper generali pace provinciarum atque terrarum inter ſe firmaſſe noſcerentur: illasq; ſuæ declarationi ſpecialiter reſervans, in ſuo decerneret vigore manere, donec de his aliud ordinandum duxiſſet.* & dederat judicii ſui documentum ipſe Carolus in compoſitione fœderis Suevici, de quo *Albertus Argentinenſis* ita memorat: *Anno Domini M CCC LIII. Rex Carolus egreditur de Bohemia, menſe Septembri, & veniens Ulmam, Ligam pacis generalis fecit omnium Sueviæ Imperij civitatum. Et cum juſſiſſet Eberhardum de Würtenberg Præſidem huiusmodi Ligam jurare, & ille diceret, ſe velle deliberare cum fratre: Rex indignatus dixit: delibera quantum velis. Tunc territus Comes juravit.*

Rad. Vic. de Geſt. Frid. II. 7. Gunthr. Ligurin. LIX.

Chron. ad A. C. 1353.

XXII. Videtur quidem poſtea Fridericus III. in *Reformatione de Anno* 1441. in animo habuiſſe, omnia in Imperio fœdera abolere; compoſita inter alia ſanctione, daß im gantzen Römiſchen Reich fürbas keine Bündnus oder Vereinigung ſollen auffgerichtet werden/ auch die alten alle abgethan. Verum Maximilianus eius ſucceſſor, ad communem Ordinum in Comitiis congregatorum conſenſum, uti Imperatoris ita Statuum fœdera reſtrinxit, *in Confirmatione Pacis publicæ Wormatienſis,* cuius hac de re diſpoſitionem ſupra ſuo loco retulimus. Et communi Pacis ac Libertatis Germanicæ amantium calculo approbatum eſt Suevicum illud Fœdus, quod ipſius Friderici auſpiciis contractum, extremis ſeculi decimi quinti, & decimi ſexti initiis ad

ap. Goldaſt in den Reichsſatz. p. 167. Sid. Limn. L. P. IV. 8, 18.

A. C. 1488.

tuendam ac subinde restaurandam quietem egregiè profuit. Capita eius & insigniora facinora exhibet *Crusius in Annal. Suev. part. 3. lib. 9. cap. 1. & lib. 10. cap. 8.* Progressum summatim complectitur *Sleidan. Comment. lib. 4. prope fin.* publica Comitiorum approbatio extat in *R. I.* 1526. §. ob auch einiger. *& R. I. Spirens. de Ann.* 1529. §. und als im Abschied. 35. exitum verò notabili διαφίσει prosequitur *Mutius Chron. Germ. lib. 31. An.* 1532. *finem habuit fœdus illud Suevicum, quod sæpè formidabile hostibus, solatium & auxilium amicis fuit. Multi Principes & civitates cupiebant conservare & renovare Ligam; sed quibusdam impedientibus, fieri nequit. In summa, aliter visum est Domino, qui parva & magna gubernat.* Illos *quosdam impedientes* signat Waremundus ab Ehrenberg *sive Eberhardus à* Weihe Carolum V. & Regem Galliæ, *quorum providentia* notat *solutum illud fœdus fuisse magno cum Germanorum dispendio.*

Meditam. pro fœderib. lib. 1. c. 2. p. 116.

XXIII. Ex iis, quæ secuta sunt superiori seculo, quæque nostra ætas vidit, fœderum actis multa videas ab *Hippolitho à Lapide*, aliisque eiusdem genii propositivè Scriptoribus in argumentum juris trahi, quæ si accuratius inspicias, soli civilium armorum licentiæ inniteruntur: quædam eius etiam generis sunt, ut sine irreverentia insigni adversus sacratissimam amnestiæ legem, memoria illorum, curiosâ disputatione refricari non possit. Et quid opus est hodie ex iis, quæ circa fœdus Smalcaldicum olim, vel Unionem Ligamve disputata sunt, argumenta repetere, quando de facultate Statuum in fœderibus condendis definiendum est: postquam clarissima Pacis juratæ sanctio, penitus in liquido collocavit, quod *jus faciendi inter se & cum exteris fœdera, pro sua cuiusque conservatione ac securitate singulis Statibus*

Instr. Pac. art. 7.

bus perpetuo liberum sit: ita tamen, ne eiusmodi fœdera sint contra Imperatorem & Imperium, pacemque eius publicam, vel ipsam inprimis Westphalicæ Pacis transactionem; fiantque salvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio obstrictus est. quam quidem dispositionem ex communi omnium Ordinum monito in condenda Capitulatione recentissima ita ad Imperatorem accommodarunt Electores, *ut in fœderibus ratione provinciarum hæreditariarum ineundis, Ipsi quoque Instrumentum Pacis pro solenni norma proponerent*: quod eo quoque manifestissimè valere nemo non videt, ut Imperator quoque non in aliis fœderibus, quam quæ de rebus Imperii, in des Reichs Händlen ineuntur, adhibere Ordinum consensum teneatur. Unde nimis generales illæ & captiosæ *Hippolithi à Lapide* observationes: *Imperatori minus juris quam Statuum cuiquam circa fœdera competere &c.* emendari debent. *Capitul. Leopold. art. 10.*

XXIV. Atque aliter sanè Statuum fœdera, ab illo tempore, quo cum ipsis Statibus summa in Imperio potestas communicata est, æstimanda fuisse, quam antea æstimabantur, cum illa sola pacis ac salutis tutela sustineret, nemini potest obscurum esse: Licet enim usus quidem illorum etiam postea, & in ipso quoque Instrumento Pacis, *ad conservationem & securitatem* cuiusque restrictus manserit: facultati tamen atque adeò juri fœderum, quin ex illa majestatis participatione vis quædam & efficacia singularis accesserit, quæ superioritatem Statuum etiam in cæteris partibus provinciarum suarum administrandarum, ad eminentiorem gradum evexit, negari utique non potest. Quæ uti in respectu ad singula Statuum territoria, eximia prorsus, ipsique

Majestatico fœderum juri, à quo profluit ac dependet, proxima, & ut solidissimam *Ludolphi Hugonis* philosophiam huc accommodem, per analogiam quandam simillima est: ita per exceptionem, qua cavetur, *ne talia fœdera sint contra Imperatorem & Imperium, pacemq́, eius publicam; fiantque salvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio obstrictus est*, ad constitutionem unius Reip. in Germania nostra, satis perspicuè revocatur, ordinaturque: ita ut fœdera Statuum, quantumcunq; excellenti robore nitantur; si tamen à norma isthic præscripta recedant, vi altioris sublimiorisque imperii in cognitionem trahi, atque irrita etiam reddi possint: quod ab usu corporum fœdere duntaxat conjunctorum valde remotum est. Nec ultra hos limites olim jam Principum Germanorum licentiam extendere ausus est *Bodinus*. quin is ultro profitetur: *Principes quidem Germanos hoc sibi licere putare, & secum & cum exteris Principibus suæ salutis causa societatem coire, modo id tamen sine Imperij Germanici fraude fiat. nam quæ fœdera aliter contrahantur, nullius esse momenti.* quod verò *idem* statim subjicit: *Cum Imperium excipiatur, non propterea excipi Imperatorem:* id ne quem in errorem seducat, diserta novissimæ pacis declaratione satis puto prospectum: Nam fœderis, quod Germani quidam Principes, Chamborti, cum Henrico II. Rege Francorum in medio civilium armorum æstu percusserunt, exemplo, è propinquo tempore poterat ipsum Fœdus Smalcaldicum opponere; ex quo Chamborticum illud pullulavit: Sed cuius Authores nihil magis anxiè volebant præcavisse videri, quam ne quicquam eo fœdere contra Imperatorem intendere existimarentur. Quin & ante conditum Instrumentum Pacis Osnabrugensis, acerrimus Germa-

de Rep. l. 1. c. 7.

Conser Arum. de Comit. cap. 1. n. 22.

Magn. D. Myler. de Princ. & Stat. Imp. part. 1. c. 17. n. 9.

Hortleder. Act. Publ. l. 8. c. 2.

idē propositum præferunt Authores unionis apud Limn. l. 1. IV. 8, 36.

Germaniæ libertatis assertor *Jacobus Lampadius*, pronuntiare non dubitavit: *non immerito Carolum Imperatorem à Smalcaldicis capita fœderis postulasse: ut videret, ecquid etiam ultra suam, quam habent majestatis communionem pepigissent.* Et tradunt etiamnum inter cautiones talium fœderum prudentiores, ut illorum conditio maturè ad Imperatoris notitiam perferatur. quam nihil causæ videtur esse, cur subterfugere moliantur, qui sibi cordati erga Rempubl & innoxii propositi conscii sunt. Et nescio, an non ipsa negotii indoles satis perspicuam definiendi rationem in deliberationibus huc directis suppeditet: ut uniuscuiusque quidem status ratiocinationi relinquatur, quatenus conservationi & securitati suæ per fœdera prospicere velit possitve: Imperatoris verò & Imperii causa, de qua utique nemo è Statibus sibi seorsim judicium hactenus arrogavit, in foro itidem competente disceptetur dijudicetur ve: utrum nimium fœdus Imperatori, an Imperio adversum: an legibus eius fundamentalibus congruum: an denique salvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio obstrictus est, contractum sit: de qua cognitione obscurum esse non puto, quam vel Imperator sibi, vel Comitia partem, jure queant vindicare.

p. 3. c. 20. n. 12. & ibi Conring.

Dn. Myler. de Princ. & Stat. Imp. part. I. c. 17. n. 11.

XXV. Separatam autem esse consultationem, quæ de Imperii, quæve de singulorum Statuum, fœdera præsertim cum exteris ineuntium utilitate, instituitur, & res ipsa ostendit; & declarat agitata inter *Sluterum* & *Limnæum* disputatio. de qua mihi quidem judicium non sumo: sed ipsius tamen rei apertissimo suffragio videtur etiam contra novas *Sluteri* vindicias propugnari *Limnæi* observatio: *Minimè fore opus, ut Status nova fœdera, inprimis cum Exteris contraherent, si Legibus Imperij*

Animadv. ad Hipp. à Lapid. p. 1. c. 9. sect. 1. Addit. Tom 2. p. 301. de subiect. summ. pot. in Imp. G. atque p. 125.

Add. Grundf. part. 3. c. 9.

atque judiciis ac auxiliis inprimis ad defensionem oppressorum expediendis vigor & autoritas sua persisteret. Nec ignorari sanè patitur rerum publicè hactenus tractatarum historia; quantumvis indè à multo tempore laboriosè agitatum sit, qua ratione executio pacis publicæ rerumque secundum leges judicatarum, atque inprimis communis securitatis tutela, partim adversus deliquia saluberrimi quondam instituti, quo in certos circulos dispositum est Imperii corpus, partim adversus varii generis apertas occultasque externas & internas corruptelas & insidias, muniri, atque ad promptos & efficaces usus expediri instruique posset: recentissimas tamen adhuc dum deliberationes eâ curâ distractas, in hunc usq; diem ad solidum certumque definiendi agendique modum perduci non potuisse. Unde potissimum judicat p. 3. c. 9. *Author* der Grundfeste commendationem accessisse fœderi Rhenano, quod anno huius seculi 58. Electores quidam & Status Imperii, assumtis in societatem Sueciæ & Galliæ Regibus, contraxerunt: cuius formula, quæq; eo nomine apud Imperatorem & cum Electore Brandenburgico, non tam institutum eius fœderis, quam adjuncta quædam impugnante, acta sunt, exhibentur in *Diario Europæo part. I. p.* 1010. *& seqq. in Theatrum quoque Europæum relata part.* 8. *p.* 560. 573. 580. socios fœderis recenset etiam *Sprenger. Jurispr. Publ. p* 113.

XXVI. Utilitatem Imperii quod attinet, fortasse tam magno acumine opus non est, ut intelligatur, posse utique talia cum Exteris fœdera iniri, vel talibus cautionibus circumdari, ut nec damnosa Imperio nec periculosa sint. Licet enim ea consiliorum negotiorumq; publicorum plerorumque conditio sit, ut pericula vix unquam sine periculis depelli queant vel averti, & gra-

viora

viora damna satis felici remedio sanata existimari debeant, si leviori detrimento incommodove redimantur: Usus tamen antecedentium temporum demonstravit, non esse cur Imperium ex iis fœderibus vel metuat periculum, vel paciscentibus imputet, quæ cum populis ineuntur finium proferendorum incuriosis, quique satis habent, suam sociorumque salutem atque libertatem tueri. Hoc certè nomine, inter alia dudum approbarunt se cordatissimo cuique fœdera, quibus Argentoratensis Respublica, non suis magis quam Imperii finibus propugnandis, Tigurinorum & Bernatium sibi auxilium pacta est. Memorat ex his conditiones fœderis anno superioris seculi vigesimo nono percussi *Sleidanus*. Aliorum quæ antecesserunt, complurium, apud *Urstisium* in *Chronicis Basileensibus*, *tum in Stumpfii Helveticis Patriæque ineditis Annalibus ac monumentis*, crebra mentio occurrit. Estque illorum exemplorum enumeratione pridem publico scripto confutata imperitorum hominum censura, qui fœdus inter easdem Civitates anno elapsi seculi octuagesimo octavo ictum, novitatis arguebant: in quo tamen aliud ferè nihil, quam capitum, in quæ pridem fuerat conventum, repetitio & declaratio quædam uberior continetur: nempe si quod inter ipsos fœdere comprehensos dissidium oriretur, jure prius, quam armis experirentur: adversus vim subito ingruentem, vel si aliqua ex tribus Civitatibus, de re ad fœdus quoquo modo pertinente, bello obsidiove premerentur, sibi invicem impensis communibus optimo expeditissimoque, quo possent modo auxilio essent. Si Argentinenses vim paterentur, ut auxilio indigerent, cæteræ duæ civitates tam valido subsidio quam res exigere videretur suis sumtibus suppetias ferrent: Argentinenses

Comment. lib. 6.

tinenſes autem in mille milites, connumeratis Præfectis ac Officialibus, quinque millia florenorum menſtrua exſolvere tenerentur: illosque quamprimum finibus ſuis appropinquaſſent, ſi quòd munimentum tormentis impetendum foret, aliudve quid ſimile peragendum; pulvere tormentario aliisque huc pertinentibus gratis, commeatu verò, pro tolerabili pretio inſtruerent. Si præſidio Argentinenſes indigerent, fœderatæ civitates tantum militum numerum, quanto carere ipſæ poſſent, & Argentinenſes egere noſcerentur, mitterent: Argentinenſes verò in vexillationem trecentorum militum ſingulis menſibus numerarent bis mille quingentos florenos. Si Tigurini vel Bernates bello infeſtarentur, Argentinenſes in ſingulos menſes ſuppeditarent quatuor florenorum millia: hoſtesque illorum, quo poſſent loco in finibus ſuis turbarent, impugnarentve &c. Excipitur in fine à parte Argentoratenſis Reipublicæ nominatim Imperator & Imperium: cui debitam fidem, hoc fœdere nulla parte imminutam velint. Decretum eſt id fœdus in perpetuum, ut tamen elapſo quoque decennio ſubindè renovaretur: die Maij decimo tertio. Præter hæc non deſunt alia quoq; fœderum ſpecimina, quibus Statuum ſaluti ita proſpectum eſt, ut Imperium extra periculum damnumve conſtitueretur: ſed inſtitutum noſtrum eo uſque non porrigitur, ut quæ dici hic poſſent, omnia cumulemus. DEUM potius precamur, ut ſingulis Sacri Romani Imperii Membris eam in communi totius Imperii tutela ſecuritatem præſtet, quæ ſeparatas de privata cuiusque conſervatione deliberationes reddat ſuperfluas!

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [124] - 32
PUBLIC DOMAIN

I. N. J. C.

DISSERTATIO

DE

CLENODIIS

S. ROM. IMPERII.

QVAM

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO

VIRO Nobiliſſimo, Ampliſſimo,

Conſultiſſimo & Excellentiſſimo

DOMINO

ULRICO OBRECHTO,

Hiſt. & Eloq. P. P. Celeberrimo, Patrono,

& Præceptore piâ animi devotione

æternum venerando.

Ex ipſius Prælectionibus potiſſimum

deſumptam

ſolenniter defendet

JOHANNES DIETERICUS Storck/

Argentinenſis.

Die 2. Aprilis hor. locog. ſolitis.

ARGENTORATI,

Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.

Anno M DC LXXVII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [125] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [126] - -

PUBLIC DOMAIN

I. N. J. C.

DE

CLENODIIS
S. ROM. IMPERII.

I.

NEmo fere hodie est, qui ignoret, Norimbergæ asseruari Cimelia quædam & Lipsana Sacri Romani Imperii. quænam vero illa sint, & vnde, quave occasione eò peruenerint; non est æque in vulgus notum; & videas inter eruditos quoque admodum diuerse tradi. Vnde natum mihi consilium, pauca quædam ex *Historia Germanica*, in vsum Exercitationis Academicæ, seligere: quæ dignitatem rei doceant suo pretio æstimare. Pariter enim huic argumento illi offeciſſe hactenus videntur, qui supra, & qui infra veri fidem descripserunt.

II. Titulum ex vsu desumsi: præcipuo loquendi magistro: atque illo quidem satis antiquo. In *consignatione* enim *Caroli IV. de Anno* 1350. apud *Goldastum* im Politischen Reichshändlen *part.* 6. jam vocantur das Heiligthum und die Kleinod des Heiligen Reichs. Neque à vocabulo *Clenodiorum*, vel *Clinodiorum* abhorruerunt Latini ex æuo sequiori Scriptores. *Annales Egmon-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [127] - 3
PUBLIC DOMAIN

Egmondani: Ex scriniis & cistis Abbatis violenter effractis, cum eorum instrumentis, plurima bona & clenodia rapuerunt. Sic & *Auctor Historiæ Australis* à *Frehero* inter Scriptores rerum Germanicarum editus *ad A. C. 1276. Promittens Rex Bohemiæ Ottocarus Regi Vngariæ Ladislao omnes thesauros reddere, quos amita ipsius Regis Ladislai asportauerat, eig. tradiderat, videlicet duas coronas aureas, & sceptra regalia, & alia quam plura clenodia aurea, quæ à tempore Regis Vngariæ Attilæ in Vngaria fuerant conservata.* Quin & apud Græcos recentiores occurrit κλεινώδιον & κλεινώδια: vt obseruauit *Iohannes Meursius in Glossario Græco-Barbaro voc.* Κλεινώδιον.

III. *Regalia* quoque *S. R. Imperii* dici, non infrequens est: sicut *inscriptio* etiam *consignationis Carolinæ* antea laudatæ ostendit apud *Goldastum:* in qua: *Regalia* deß Heiligen Römischen Reichs diserte nominantur, vti & aliis locis, quibus omnibus subintelligi debent *insignia*, vti ellipsin istam iam suppleuit *Godefridus Viterbiensis Chron. part.* 19. vbi enumerationi Clenodiorum Imperialium hunc titulum præscribit: *De Regalibus insignibus, videlicet de sancta cruce, de gladio, de lancea sacra, de sceptro, de pomo aureo, de corona, de diademate. &c.*

IV. Sed hodie nomine *Clenodiorum S. Rom. Imperii* ea fere Scriptoribus Juris publici notari tantum solent, quæ Norimbergæ, vt & ab initio innui, asseruantur: quæ cæteris Imperii insignibus ita solent adiungere, vt non obscure ab iisdem distinguant. Ita *Limnæus de I. P.* 1, 14, 35. annotationem de Insignibus Imperii finiturus, subiicit: *Cæterum Imperii insignibus, non incommoda relatione, Clinodia Imperii iungi possunt. Talia æstimantur gladius Caroli M. lancea quæ Seruatoris nostri aperuit latus: dextra portio Sanctæ crucis, clauus vnus, qui*

Christi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [128] - 4
PUBLIC DOMAIN

Christi perforauit artus & mappa, quâ ultima mensa Domini strata fuit. Eodem fere modo *Arumæus ad Aur. Bull. cap.* 22. enumeratis insignibus, addit: *Sed præter hæc Augustalis dignitatis propria ornamenta, plura sunt Clinodia & reliquiæ, quæ ex parte numerantur in vita Henrici I. Imp.* & paucis interiectis: *Sed hodie Clinodia hæc apud Ciuitatem Norimbergensem adseruantur.*

V. Et *Limnæus* quidem cur Aquilam Imperialem à Clinodiis distingueret, rationem idoneam habuit. Cæterum ex ornamentis, vt *Arumæus* vocat, *Augustalis dignitatis propriis*, pleraque comprehenduntur Clenodiis Norimbergensibus. Videtur autem *Arumæus* existimasse, ea tantum Clinodia & reliquias adseruari Norimbergæ, quæ *Goldastus* in Politischen Reichs-Händlen *part. 6. cap.* 2. enumerat. Cum ibi ea tantum recensеantur, quæ in Conuentu Electorali Anno 1611. Electoribus exhibita sunt: extent autem longe plura: quorum vix mediam partem ista conficiunt.

VI. Patebit id ex enumeratione pleniore, quam mox subijciemus, quæ ostendet etiam Arumæum, non recte à *Limnæo tom. I. Addit. p.* 178 argui: ac si nimis liberalem se Inclytæ Norimbergensi Reipublicæ præbuisset, cum Imperii Clinodia Noribergæ asseruari scripsit. Nam vt demus *Limnæo*, aliqua ex iis Clenodiis, quæ in sua consignatione Carolus IV. recenset, Noribergam non peruenisse. Præcipua tamen, quæ in illa nominantur, alia non esse à Noribergensibus, tanto apparebit euidentius, quanto diligentius considerabuntur.

VII. Solent autem illa, qui plenius enumerant, in tres veluti classes diuidere: prout olim etiam, cum solennis exhibitio in vsu adhuc esset, partitim

monstrabantur. Ad primam classem referunt reliquias varii generis: I. Partem sacri præsepis in quo Seruator noster vagiit. II. Brachium Sanctæ Annæ, matris Deiparæ virginis. III. Dentem S. Johannis Baptistæ. IV. Partem tunicæ S. Johannis Euangelistæ. V. Particulas quasdam catenarum, quibus SS. Apostoli Petrus & Paulus, vti & S Johannes Euangelista vincti fuerunt. Secundæ classi annumerant Cimelia ad Imperatoriam coronationem pertinentia: de quibus sufficerit *Hartmanni Mauri* verba adscribere. Sic autem ille in *descriptione Coronationis Caroli V.* apud *Goldastum in Politicis Imperialibus part. 3. cap. 3. pag. 271. Ornamenta Diui Caroli, quibus ex more coronandi Reges induuntur, Nurembergensis Magistratus summa cum diligentia atque veneratione publice ad aliquot secula asseruauit, quæ tempestive Aquisgranum delata, vbi Reges coronandi fuerint, rursus coronatione expleta asportantur, subque fida custodia recluduntur. Subnotatas autem reliquias, Nurembergenses à Carolo gestatas pro veris habent traduntque, & inde eximie coluntur: Dalmaticam albam holosericam, pretiosissimis margaritis gemmisque distinctam: Auream stolam, margaritis quoque adornatam: Vnam cappam holosericam, violacei coloris, cui aurum in modum Aquilæ intextum: Alterum amiculum rubei coloris contextum pari modo magnâ aureâ Aquila. Insuper Coronam Caroli, non ferream, vt vulgus falso autumat, &, quod magis pudendum, passim in Juris Professorum Commentariis reperitur: sed ex puro puto auro fabrefactam, sic tamen vt in ea veterum laudabilis parcitas satis eluceat. Pomum & Sceptrum aurea. Gladium Caroli admodum grauem; vtpote à viro robustissimo versatum: Verum non tam prodigiosæ magnitudinis, quam à tanto Heroe gestatum credi posset. Præter hæc ad-*

vecta

vecta sunt hac tempestate duæ Dalmaticæ, una violacei, alia verò nigri coloris: duæ chirothecæ, unionibus pretiosissimisq; lapidibus ornatæ: Socculi duo aurei, stola, zona coriacea, retinaculumque eius aureum: quæ omnia pretiosis lapidibus affabre picturata, redimitaq; fuêre. In excerptis è descriptione Conuentus Electoralis apud *Goldastum* additur gladius S. Martini (vitiosè pro Mauricii) Thebææ legionis ducis, cuius etiam in *consignatione Carolina* mentio fit, vti & calcarium Caroli M. Tertiam denique classem constituunt sacra Lipsana Dominicæ Passionis: I. Lacinia mappæ, supra quam Cœnam ultimam cum discipulis suis Seruator noster celebrauit, vti & II. Lintei quo præcinctus fuit, cum pedes discipulorum ablueret. III. Octo spinæ coronæ Dominicæ. IV. Pars almæ crucis. V. Lancea qua Seruatoris in cruce pendentis corpus perfossum.

VIII. Esse autem ex his præcipua, eadem, quæ jam tum Caroli IV. tempore apparatum Clenodiorum S. R. Imperii constituebant, demonstratu arduum non erit, si constet, quænam illa Cimelia fuerint, quæ Sigismundus Imperator, ex arce Bohemica Karlstein, Noribergam transtulit. In hac enim à Carolo IV. fuisse recondita docet *Albertus Kranzius Vandalicorum X*, 40. *Ita* (inquit de Karlstenio) *arx præcipua, quæ multa seruabat pretiosa Regni Romani insignia, quæ illuc Carolus IV. inuexerat, de manibus perfidorum eripitur.* Percenset verò illa singillatim Martinus V. Pontifex in Bulla sua, qua Sigismundo petenti, vt illorum translationem approbaret, respondet, ex ipsius quantum apparet, Sigismundi enumeratione, hoc ordine modoque: *Ex deuota Charissimi in Christo, filij nostri, Sigismundi, Rom. Hung. & Bohem. Regis insinuatione, nobis nuper innotuit,*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [131] - 7
PUBLIC DOMAIN

tuit, quod cum magna pars viuificæ crucis, in qua Saluator noſter JESVS CHRISTVS, *pro generis humani ſalute pendere voluit; Lancea quoque ex aliqua parte, qua latus eius miles aperuit; Clavus vnus, quo manus ipſius, eidem cruci affixa extitit; Particula præſepis, in quo Saluator ipſe poſitus fuerat; brachium Sanctæ Annæ, & particulæ quædam cathenarum, ſanctorum Petri & Pauli, Apoſtolorum. Tunica S. Johannis Euangeliſtæ; dens vnus B. Johannis Baptiſtæ; Gladius S. Mauricij, nec non Gladius Caroli Imperatoris, ei Angelica, vt dicitur, manu porrectus; Corona quoque, nec non ſceptrum & pomum, & ſingula indumenta imperialia eiusdem magnifici Caroli, Reliquiæ, ſeu inſignia Imperialia communiter appellata, intra Regnum Bohemiæ conſiſterent. &c.*

IX. Atque in eâdem Bullâ indicat Pontifex, Sigiſmundum vt quibusvis impoſterum periculis eriperet Clenodia Imperialia, de idoneo ad perpetuam illorum cuſtodiam eligendo loco deliberaſſe, *luſtratisque animo cunctis Imperialibus ciuitatibus & locis Alemanniæ perueſtigatis, multoque ad illos directo reflexu, tandem conſideraſſe quod Imperialis Ciuitas Nurmbergenſis, præ cæteris, illarum partium, Imperialibus ciuitatibus, oppidis atque locis potens, inſignis & famoſa, Eccleſiaſtico decore conſpicua, Chriſtianæ fideı, deuotißimis etiam vtriusque ſexus zelatoribus, præpollens, in regenda Reipublicæ politia, ſingularis prudentiæ viris ornata, ac demum ipſi Regi, ex omni parte accommodatior exiſteret, atque ideo Reliquias & inſignia ipſa ad Ciuitatem eandem, cum debita veneratione transferenda, ac ibi ad laudem DEI, & Sacri decorem Imperii reponenda prouidiſſe, ac decreuiſſe, perpetuo conſeruanda.* Quando itaque commutata, & adempta iterum Noribergenſi ciuitati genuina Clenodia, ſuſpicari

Limnæus

Limnæus potuit? An inter Caroli V. & Sigismundi tempora? At nec ignorare id facile diligens satis harum rerum indagator *Hartmannus Maurus* potuisset, nec in tanta publicæ lucis claritate, vllo modo dissimulare. Ne de eo jam dicam, quod Martini V. Bulla & à Nicolao V. & à Pio II. Pontificibus confirmata est: valde vtique inaniter, si vera S. R. Imperii Clenodia in custodia Reip. Noribergensis esse interim desierunt. Nam eo neminem credo deuenturum, vt opinetur, inter Caroli IV. & Sigismundi imperia, in Bohemiâ Thesaurum huncce verorum Clenodiorum in hypobolimæorum Cimeliorum congeriem transformatum fuisse, quæ tanto postea studio ac sollicitudine Norimbergam Sigismundus curauerit deferri. Quî enim falli in eâ re Sigismundus potuit? cum præsertim ipse Carolus IV. in consignatione sua profiteatur, se propterea Clenodia Imperialia peculiari indice complexum fuisse, vt Successores sui in Imperio tanto certius accuratiusque aliquando illorum rationem habere, repetitionemque possent instituere. Hic vero index, vti jam antea professus sum, quantum ad præcipua Clenodia Norica attinet, nihil ab eorundem enumeratione pleniore, diversum continet, vti, absque vlteriore demonstratione deprehendere quilibet potest, qui lustrare illum, apud *Goldastum*, vel *Limnæum* operæ pretium duxerit: huc enim transscribere temporis nostri institutique modus non sinit.

X. Difficilioris disquisitionis res est, an vetustas, &, vt ita dicam, character, qui singulis horum Clenodiorum attribuitur, rei veritati, quatenus ex probatis monumentis adstrui potest, conueniat? Et è sacris quidem Lipsanis, quæ inter illa reperiuntur, plera que,

maiorem, quàm quæ aliarum passim reliquiarum haberi solet, authoritatem sibi hactenus non arrogarunt: magnam nimirum, apud eos duntaxat, quibus ad quidquis credendum persuasio, & illud inter reliquiarum præcipuè & miraculorum assertores natum notumque postulatum satis efficax est: Diuina potentia factum esse, ne e. g. segmentum de præsepi, in quod Deipara Virgo Seruatorem nostrum reclinauit, vel annuli de catena, qua Petrus aut Paulus vincti fuerunt, vel tunica Johannis Euangelistæ, vel Baptistæ dens, inter res profanas aut initio delitesceret, aut postea deperiret: Tum qui ad fidem rei nihil autumant interesse, in quantum cumulum collectæ è variis orbis Christiani plagis spinæ coronæ Dominicæ, vti & claui, quibus Seruator noster cruci affixus est, itemque crucis ipsius fragmina excrescant: quòd hæc omnia varie vel hominum pietate, vel diuina virtute potuerint multiplicari.

XI. Quæ quidem omnia sicut ipsorum patronorum suorum judiciis, exactiori examini & disputationi rigidiori vltro imparia decernuntur: ita de *Sacra Lancea* quæ inter Clenodia imperialia præcipuè eminere putatur, ipsa traditionum diuersitas attentius examen vel mereri vel prouocare videtur. Cum lanceam nominamus, cuspidem duntaxat intelligi, puto in aperto esse: quam pro eâ habuit Carolus IV. Imperator, qua latus Seruatoris apertum est. Vti & Pontifex Martinus V. & præterea alii multi, qui eius hinc inde faciunt mentionem. Nam *Godefridus Viterbiensis* paucos opidò sectatores est nactus. nominat ille autem Lanceam S. Mauricii, *part. XIX. Chron.* scribens:

Lancea Mauricij reliquis præmaxima signis
Plurima Christicolis peperit miracula dignis,
Clauus namque Dei iunctus habetur ei. XII.

XII. Nouæ ſententiæ originem dedit miſſa ad Innocentium VIII. à Baiazethe Turcorum Imperatore, anno ſeculi decimi quinti XCII. Lancea. cuius dignitas cum ad authoritatem Eccleſiæ Romanæ propius, quam Noribergenſis Lanceæ ſpectare videretur; reperti ſunt, qui non aliam quam Conſtantini M. Lanceam inter Clenodia imperialia extare contenderent: quas præcipue partes propugnandas ſibi ſumſit *Jacobus Boſius de cruce triumphante lib. 1. cap. 17.* Et apparebat ſane ab eo præſertim tempore, quo Romana lancea in theatrum producta eſt, alterutrius venerationem periclitari, niſi nouæ artis fabri extitiſſent, qui e particula abſciſſa à Lancea Dominica, tum è lanceis Conſtantini Magni & Caroli M. vnam nobis fabricarent; atque veram quidem illam & antiquam Romæ, hanc autem nouam & ſubditiam Norimbergæ aſſignarent. Idque poſt *Gretſerum* adſtruere conatus eſt Auctor virulentiſſimæ Paræneſeos ad Ferdinandum II. Imperatorem & Electores Imperii de transferendis Norimbergâ in alium locum Sacri Romani Reliquiis, qui ſe *Chriſtianum Erdmannum* nominauit.

XIII. Sed ſi quod verum eſt, volumus fateri, de neutra iſtarum lancearum ex idoneis hiſtoriarum monumentis, poteſt tradita opinio ſtabiliri. Eſtque omnino ipſa Lanceæ Dominicæ inuentio, non variis modo, ſed aduerſis narrationibus penitus inuoluta. De multitudine lancearum, quæ pro veris venditantur non loquor; quamuis illarum, præter Noricam, tot ferantur, quot *Diuitis oſtia Nili*:

ipſa quæ in Scriptis antiquiorum paulo, & recentiorum mentio eius occurrit, quantis coloribus ac pigmentis indiget, vt vllatenus concordet? *Andreas Cretenſis*, vt *Ritualia*

G. Lupold. à Bebenburg. de Zel. Princ. Chriſt. c. 12.

Ritualia Græcorum docent, Sophronio Hierosolymitano Episcopo, adeoque Heraclio Imperatori coæuus Orator, *Homilia* 1. *de Exaltatione S. Crucis*, tradit, post resurrectionem Domini Judæos cum cæteris Passionis instrumentis etiam lanceam sacram defodisse, atque hoc totum, vt vocat ἀνασύρισμα, σαυρὸν, καὶ τὰ περὶ τὸν σαυρὸν, ἄπαντα, τοὺς ἥλους, καὶ τὸν λόγχην, καὶ οὗ ὅτι τοῦ σαυροῦ ἐγράφη προσήκοντα τίτλον, *crucem, & omnia quæ ad crucem pertinent, clauos, lanceam, & titulum à Pilato scriptum atque cruci affixum*, ab Helena Constantini matre postea repertum, publicæque luci, ac venerationi expositum fuisse. Hancque scribit sub eodem Heraclio *Author Chronici Alexandrini* Hierosolymis Constantinopolin fuisse allatam, ibique publica adoratione cultam. Suo vero adhuc tempore Hierosolymis cultam testatur *Beda de Locis Terr. Sanct. cap.* 2.

XIV. Atque istam quidem *Andreæ Cretensis* de inuentione lanceæ Dominicæ traditionem tueri *Gretsero*, sociisque *Gretseri*, non magis arduum erat futurum, quam fuit cæterorum instrumentorum Dominicæ passionis veritatem asserere; per principia nimirum & postulata, ipsis, quę fingunt miraculis mirabiliora. Nisi παλιγγενεσίαν Lanceæ Antiochensis, nonnihil inde labefactari sensissent. Itaq; ipse quidem *Gretser. de Cruce T. I. lib.* 1. *cap.* 54. profitetur: *difficile esse creditu, lanceam una cum crucibus fuisse eodem die, sub vesperam, defossam, cum sine dubio fuerit propria militis.* Quanquam ipse alibi, *libro* nempe *eod. cap.* 84. eas Lanceæ Dominicæ vices memoret, vt quibus illas persuaserit, illi non sint miraturi, lanceam sacram Hierosolymis semel ab Helena effossam Antiochiæ iterum S. Andreæ reuelatione eruendam fuisse.

XV. Histo-

XV. Hiſtoriam Lanceæ Antiochiæ repertæ recenſet præter *Robertum Monachum de Chriſtian. Pr. bell. contra Turc. lib. 7. pag.* ed. Reuber. 251. *Willermus Tyrius Hiſt. rer. Transmar. lib. VI. cap.* 14. idemque *lib. VII. c.* 18. refert, *dubitationes populi, vtrum ea eſſet lancea, qua de latere Domini ſanguis & unda profluxit; an res eſſet commentitia? ne noui quidem miraculi ſpecie tolli potuiſſe: remq; quæ in dubium venerat, nullam recepiſſe deciſionem, verum maius induxiſſe ambiguum.* Et ſupereſt ſanè non vna ambigendi cauſa utrum maiori miraculo effoſſa, an defoſſa ſit dicenda? Putat quidem *Gretſerus*, non eſſe à fide alienum, Lanceam ſacram, vndecunque ad Rudolphum Burgundionum Ducem deuenerit, ab hoc deuolutam eſſe ad Henricum Imperatorem; ab iſto ad Ottonem M. ab hoc, ad Regem Angliæ; ab iſto ad Antiochenos; à Principibus, qui Antiochiam expugnarunt, ad Balduinum, &c. At id certe ad fidem ſpeciemque veri adeo prope non accedit, vel Regem Angliæ ſtatim, acceptum ab Imperatore munus tam pretioſum fuiſſe in Antiochenos profuſurum: Vel Antiochenis intra id temporis ſpatium quo credi ſana ratione poſſunt id munus accepiſſe à Rege Angliæ, quoque Lancea denuo reperta eſt, in tanti theſauri tam ſupinum vel neglectum, vel obliuionem fuiſſe venturos, vt nulla eius penitus apud quenquam memoria ſupereſſet.

XVI. Quanquam in tota iſta enumeratione Poſſeſſorum Lanceæ Dominicæ, nihil ferè eſt, quod non poſſit aperta teſtimoniorū fide refelli, vel quod non dubium certè ſit, atque à nemine, niſi qui coniecturis nimium indulgere velit, aſſeuerari liquido queat. Id quidem plures commemorant, *Luitprandus* præſertim *lib. 4. cap.* 12. & ex eo *Auctor vitæ S. Gerardi* apud *Baronium ad A.*

ad A. C. 920. & Surium tom. V. quod *Sigebertus Gemblacensis ad An. C. 929.* his verbis in compendium contrahit: *Lanceam mirandi operis, & clauis Jesu Christi crucifixi sanctificatam, quæ dicitur primi & Magni Constantini fuisse, donatam Rudolpho Regi Burgundionum & Italiæ, à Samsone Comite, Rex Henricus precibus, minis, muneribus, additâ etiam parte prouinciæ Sueuorum, à Rudolpho Comite extorquet, & hanc ad insigne & tutamen Imperij posteris relinquit.* At enim lanceam sacram inter insignia Imperii iam extitisse, antequam Henricus I. illi præficeretur, docet *Witichindus Annal. lib. I. pag. edit. Meibom. 9.* vbi Conradus I. moriturus, ad fratrem: *Sumtis his insigniis*, inquit, *lanceâ sacrâ, armillis aureis cum chlamide, & veterum gladio Regum, ac diademate, ito ad Henricum, facito pacem cum eo, vt eum fœderatum possis habere in perpetuum.* Video equidem, esse aliquos, qui hic lanceam Caroli M. intelligendam contendant, cui particula quædam de clauis sacris fuerit innexa, quæque propterea sacra sit itidem vocata. Sed quid est dubium dubio sanare, si hoc non est? & quamnam dicemus deinceps inter Clenodia Imperii mansisse, illamne, quæ à Carolo M. an quæ à Rudolpho venit?

XVII. *Otto* certe *Frisingensis Chron. lib. 6. cap. 18.* valde reclamat *Gretseri* figmentis de translatione lanceæ ad Regem Angliæ & Antiochenos, scribit enim: *Lanceam sacram, quam Reges nostri hactenus habent, ab Arnolfo Lugdunensis Galliæ seu Burgundiæ Rege minis extorsisse Henricum.* Atque alia ratione *Willielmus Malmesburiensis de Gest. Reg. Anglor. lib II. pag. 51.* qui lanceam sacram non ab Ottone Imp. sed ab Hugone Rege Francorum ad Angliæ Regem peruenisse refert his verbis:

bis: *Princeps legationis ab Hugone Rege Francorum fuit Adulphus; is in conuentu procerum protulit munera - Lanceam Caroli Magni, quam Imperator inuictissimus contra Saracenos exercitum ducens si quando in hostem vibrauerat, nunquam nisi victor abibat: Ferebatur eadem esse, quæ Dominico lateri centurionis manu impacta pretiosi vulneris hiatu paradisum miseris mortalibus aperuit.* Et quid fiet miraculo, quo fratres suos Otto Imperator vicisse *Luitprando*, fusius; *Sigeberto* autem *Gemblacensi An. C. 542.* breuius in hunc modum memoratur: *Gislebertus & Everhardus, cum Henrico fratre Imperatoris Ottonis iuxta Rhenum contra Imperatorem bellum parantes, milites Imperatoris offendunt, & multi cum paucis congressione facta, interim in alio Rheni littore, ante clauos & lanceam Domini, lanceæ suæ infixos, in oratione prostrato Imperatore, victi terga dederunt, Henrico in brachio insanabiliter vulnerato.* Si credidit vel Imperator ipse, Otto I. vel eius successores, *virtute ac beneficio lanceæ*, vt interpretatur *Gretserus*, hanc victoriam partam fuisse; quis persuaderi sibi patietur, vel ipsum Ottonem, vel quenquam successorum permissurum fuisse, vt Germania tam pretioso Cimelio priuaretur? Sed enim neque *Sigebertus*, victoriam hanc lanceæ sacræ adscribit, neque *Luitprandus*: qui de animo etiam & proposito Imperatoris testatur: *Rex Otto* (inquit) *quoniam suis ab hostili exercitu circumuentis subuenire non poterat, recordatus populi Domini, qui repugnantes sibi Amalecitas, orationibus Moysi serui Dei deuicerat, protinus de equo descendit, seq; cum omni populo, lacrymas fundens ante victoriferos clauos manibus Domini nostri Jesu Christi affixos, suæq; lanceæ impositos, in orationem dedit; quantumq; justi viri, secundum Apostoli Jacobi sententiam, tunc valeret oratio, res manifesta probauit:*

probauit: eo namq; orante, cum ex ſuis nullus occumberet, hoſtes ſunt omnes in fugam conuerſi. Neque minus tamen certum eſt Germaniam inter cimelia ſua, lanceam ſacram, per ea tempora ſeruaſſe, quibus eam *Gretſerus* fingit tantos terrarum tractus perambulauiſſe. quod & ipſe *Gretſerus tom. 3. de cruc. lib. 1. cap. 20.* agnouit: vbi hariolationes ſuas ipſe reprobat; non multo certioribus in illarum locum coniecturis productis.

XVIII. Fueritne itaque Caroli M. an Conſtantini, an Mauricii, an denique illa, qua Seruatoris noſtri latus apertum eſt, lancea, quæ hodie adhuc inter Clenodia Imperii cuſtoditur; à nemine arbitror definiri certo poſſe. Ipſam in vniuerſum Clenodiorum iſtorum antiquitatem quod attinet, dubitat *AEneas Sylvius Hiſtor. Friderici III.* an ornamenta illa, quæ Imperatoriæ coronationi adhiberi ſolent, à Carolo magno uſque, an vero à Carolo IV. demum deſcenderint? *Cæſar,* inquit de Friderico III. *quamuis ornamenta ſibi pretio incredibili comparaſſet, in hanc tamen ſolennitatem, pallium, enſem, ſceptrum, pomum, coronamq; Karoli magni, vt fama fuit, ex Archiuis Norenbergenſium ad ſe deferri curauerat; hisq; vſus eſt: datur enim hoc vetuſtati, vt plus majeſtatis habere videantur* (antiqua): *pondere noua carent. Quod ſi tales Caroli M. ornatus fuêre, conſtat Principes Regesque vetuſtiores non tam veſtis ornatum, quam nominis gloriam quæſtuiſſe: ac facere magis, quam veſtire ſplendide voluiſſe. Verum mihi ſingula exactius contemplanti, cum enſem inſpexi, non magni illius primique Karoli, ſed Quarti viſus eſt, qui Sigismundi genitor fuit. Nam Leo Bohemicus ſculptus in eo viſebatur: quo ille tanquam Rex Bohemiæ vtebatur: in plebe tamen rumor manſit, magni Karoli ornamenta fuiſſe.* At enim argumentum de Leone Bohemico

hemico, quo potissimum permotum se scribit Æneas, eo valere non potest, vt inde negetur Caroli M. gladium fuisse: etiamsi concedatur, Leonem â Carolo IV. demum, postquam insignia secum in Bohemiam aue-xisset, insculptum. Et dicebatur ensis ille Caroli antequam in Caroli IV. manus peruenisset: sicut ipsa quoq; *consignatio Clenodiorum Carolina* ostendit, in qua etiam in pallio Caroli rubro, duo leones acu picti memorantur. Conradus I. apud *Witichindum libro* I. jam nominat *gladium veterum Regum.* quod venerandam eius antiquitatem abunde sufficienterque demonstrat.

XIX. Cæterum ante Carolum IV. Ludouicus Bauarus Imperator aliquot Clenodiis thesaurum hunc auxisse videtur. Nisi aliter forte intelligenda sunt verba *Alberti Argentinensis Chron. ad A. C.* 1352. *Marchio Ludouicus lanceam, clauos, partem crucis Christi, & alia insignia, quæ Imperio dicuntur per Ludouicum Imperatorem, patrem suum relicta, Regi* (Carolo IV.) *præsentauit, receptâ cautione de reducendis infra triduum, vel in* Nürenberg/ *vel in* Franckfurt *per Regem: quod non fuit impletum, sed ea Pragam perduxit: de quo Bohemia nimium gloriatur.* Pleraque autem inde ab Henrico Aucupe, qui à Conrado acceperat, continua veluti successione in Imperatores nostros deuoluta sunt. De Conrado verba *Witichindi* supra jam retulimus: apud quem sequitur *pag. ead.* 9. *post hæc ipse Rex Conradus moritur, Everhardus autem, vt Rex imperarat, adiit Henricum, seque cum omnibus thesauris illi tradidit.* Quin & opinio inualuit, jus ipsum Imperii, sine insignibus hisce & Clenodiis regalibus plenum & efficax non esse: & vicissim illi maxime

promptum ad imperium aditum patere, qui insignia in suam potestatem redegisset. *Albertus Stadensis Chron. ad A. C.* 1126. *Luderus qui & Lotharius hoc modo electus est. Fridericus Dux Sueuiæ, post mortem Henrici avunculi sui accepit regalia, certissimus, quod à Principibus eligeretur. Sed Albertus Moguntinus, ab Henrico quondam captiuatus, iniuriam in nepote vindicare disponens, complicibus coadunatis, consilium concepit, quo regalia potestati Friderici eripiant, & sic ad alium eligendum roborentur.* Ita *Scriptor vitæ Henrici IV.* apud *Reuberum p.* 190. de Filio, Henrico nimirum V. imperium patri ademturo: *statim misso legato*, inquit, *patri mandauit, vt si vitam seruare vellet, absq; mora sibi crucem, coronam, & lanceam, cæteraque Regalia transmitteret.*

XX. Idque præter ingens rei ob antiquitatem præcipue æstimatæ, pretium, incitasse Imperatores nostros videtur, vt tam diligenter custodiæ horum Clenodiorum semper inuigilarent. *Abbas Vrspergensis in Chron. A. C.* 1124. annotat de Henrico V. *eum cum morti vicinus esset, coronam cæteraque Regalia, usque ad conuentum Principum conseruanda in castello firmissimo, quod Hamirstein dicitur, reponi disposuisse.* Idem de Ottone IV. ad *A. C.* 1209. *Insignia Imperialia apud Mediolanum commisit: vnde magnum fauorem à Mediolanensibus acquisiuit.* & ad *A. C.* 1221. de Friderico II. *Insignia Imperii videlicet coronam & alia, remittit in Alemanniam, faciens ea custodiri sub potestate Eberhardi de Tanne ministerialis & dapiferi sui, in Walpurc.* Videntur autem, etiam antequam à Carolo IV. in Bohemiam transferrentur, Noribergæ custodita jam fuisse: Sic enim *Auctor Chronici Belgici magni* apud *Pistorium p.* 304. *Anno eiusdem regni*


Caroli

Caroli quarto , Carolus Imperator, de Nurenburg in ſuam ciuitatem Pragenſem tranſtulit lanceam, qua latus Domini noſtri JESV CHRISTI *fuit apertum & transfixum, ſimul & brachium dextrum ſanctæ crucis, cum clauo Domini, menſale Chriſti, quod habuit in cœna, gladium Caroli Magni, quem recepit ab Angelo, nec non alias reliquias plurimas.* Qua de cauſa Sigiſmundus Imperator poſtea A.C. 1424. cuſtodiam Noribergenſi Reip. iterum detulerit, conſtat ex iis, quæ ſupra è *Bulla Martini V. Pontificis* adſcripta ſunt. Nos cum eruditiſſimo Viro *Jo. Chriſtophoro Wagenſeilio diſput. Jur. Publ. IV. th.* 15. Felicem prædicamus Inclytam Rempublicam, quod Imperii ſacrum ſeruat theſaurum: ſed longe feliciorem, quia *credita ſunt illi eloquia Dei.*

XXI. Supererat, vt de Feſto Clenodiorum, lanceæ ſcil. & clauorum Domini ab Innocentio VI. A. C. 1353. inſtituto aliqua annotaremus. Sed impletus eſt inſtituti noſtri modus: quem ſtudiorum meorum genus & temporis breuitas arctioribus terminis incluſit.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [143] - 19
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [144] - -

PUBLIC DOMAIN

I. N. J.

EXERCITATIO ACADEMICA DE LEGIONE FULMINATRICE M. ANTONINI PHILOS. IMPERATORIS,

QVAM

SUB PRÆSIDIO

RECTORIS MAGNIFICI

VIRI Nobiliſſimi, Ampliſſimi,

Conſultiſſimi & Excellentiſſimi

DOMINI

VLRICI OBRECHTI,

Hiſt. & Eloq. P. P. Celeberrimi,

Patroni ac Præceptoris devotiſſimo obſervantiæ & obſequii cultu æternum Venerandi.

SOLENNI Eruditorum Cenſuræ

ſubmittit

JOHANNES NICOLAUS Hardtſchmidt/

Argentinenſis. A. & R.

Die 5. *Aprilis hor. locoq. ſolitis.*

ARGENTORATI,


Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.

Anno M DC LXXVII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [145] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [146] - -

PUBLIC DOMAIN

I. N. J. C.

DE

LEGIONE FVLMINATRICE M. ANTONINI PHILOS.

I.

SIcut duæ præcipuæ in Hiſtoriarum Scriptore virtutes ſunt, ne quid falſi dicere audeat, & ne quid veri dicere non audeat: ita Lectori Hiſtoriarum talis animus gerendus eſt, vt & vera credere audeat, & falſa non credere. Nam vt hæſitare de omnibus atque ambigere, & in nulla denique re conſiſtere, nimium moleſta & ipſi etiam rationi humanæ aduerſa curioſitas atque diffidentia eſt; ita quidlibet quod narratur, arripere, ignaua merito ſecuritas habetur. Examine itaque opus eſt & diſquiſitione. cuius ſpecimen aliquod cum in publico mihi proponendum eſſet, tale argumentum ad manus ſumſi, quod digniſſimum mihi videbatur, vt nec in ambiguo relinqueretur, quatenus grauiſſimorum teſtimoniorum authoritate fulciri poteſt; nec pro certo venditaretur, quatenus aptum eſt refelli.

Farbkarte #13
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [147] - 3
PUBLIC DOMAIN

II. Quod autem *de Legione Fulminatrice* his pagellis titulum præscripsi, id sine præjudicio secuturi examinis accipi velim. Nec enim aliud spectaui hac inscriptione, quam vt eo facilius intelligi posset, de quo potissimum quæstio hîc sit futura: de Legione nimirum, cuius precibus impetrata è cœlo pluuia & fulmine Marcus Antoninus Philosophus Quados & Marcomannos fertur profligasse. quam etiam qui negant ab hoc miraculo *Fulminatricem* dictam fuisse, hoc tamen nomine, demonstrandæ rei causâ solent indigitare.

III. Id quoque me non mouit, vt à recepta appellatione recederem, quod Henricus Valesius in Annotationibus ad Euseb. *Hist. Eccl. lib.* 5. *cap.* 5. pronunciat: Rectè fecisse Rufinum, quod κεραυνοβόλον fulmineam vertit; non fulminatricem, vt Onuphrius & Scaliger aliique appellant: quos refellat Notitia Imperii. in qua sc. Legio XII. fulminea nominetur, non fulminatrix. Nam vt concedam exemplo & authoritate Notitiæ defendi Rufinum, qui fulmineam nominauit; ita non puto eâdem statim refelli eos, qui fulminatricem appellant. vtpote quos tuentur *Inscriptiones Antiquæ:* quæ docent vtiq; antiquitus fulminatricis nomen alicui Legioni competiisse. Talis est in opere Gruteriano Inscr. 10. pag. 567.

C. VETTIO C. F.
COL. NIGRO.
DOMO. ANTIOCHIA
SYRIA. VETERANO
LEG. XII. FVLMINAT.
MIL. &c.

Itemque

Itemque alia, pag. 1090. inscr. 13. in qua M. Æl. Aurel. Theo Juridicus Aug. inter alia itidem dicitur

TRIBVNVS MILITVM LATICL.
LEG. XII. FVLMINAT.

IV. Historiam ex *Eusebio Hist. Eccles. lib. 5. cap. 5.* repetunt plerique. Qui memorat: M. Aurelium Antoninum, quem Philosophum vulgo nuncupant, cum aduersus Germanos & Sarmatas pugnaturus, aciem instrueret, & exercitus ipsius siti premeretur, pene ad vltimam inopiam consilii redactum esse. Tum vero milites legionis Melitinæ, flexis in terram genibus, preces ad Deum fudisse. Mox secutos hinc quidem fulminum jactus, quibus hostium copiæ in fugam versæ atq; extinctæ sint: illinc vero imbrium vim, quibus exercitus eorum, qui Deum precati fuerant, jamjam siti perituras, præter spem sit recreatus. Atque Imperatorem quidem ipsum, literis professum, exercitum Romanum Christianorum precibus ab imminente exitio fuisse seruatum. Cæterum legionem, cuius precibus id miraculum perpetratum erat, exinde congruo rei vocabulo fulmineam appellatam.

V. Prima de tempore dubitatio est. Atque hic haud dubiè grauiter errauit is, qui ad marginem *Cedreni*, è regione huius historiæ annotauit, sub Antonino Pio hæc accidisse; idque tanquam ex *Themistij* authoritate; quem & propterea erroris arguit *Scaliger ad Chron. Euseb. n.* 2189. Sed *Themistius*, nomine Antonini, non Pium, verum Marcum omnino designauit, verbis quæ ad *Euseb. Hist. Eccl. V, 5. Valesius* produxit. Id magis mireris, quid *Eusebio* ipsi in mentem venerit, vt M. Aurelium Antonini Pii Fratrem nominaret?

VI. Annus de cætero notatur in *Eusebiano Chronico* CLXXIV. Æræ Christianæ. quem retinet *Petauius in Rat. Temp. part. I. lib. 5. cap. 8.* & nouissime *Ricciolus Chronol. Reform. Chron. magn p. 44.* Sed *Baronius* duobus annis serius, Anno nimirum Christi CLXXVI. contigisse contendit. A quo diuersus abit *Brouverus in Annal. Treuirens. part. 1. lib. 2.* qui in A. C. CLXXII. vti & *Vbbo Emmius in Oper. Chronol.* qui in A. C. CLXXIII. referre malunt. Mihi *Brouverus* quidem recte videtur fecisse, quod Anno, quo hæc gesta sunt, *Tribunitiam Potestatem Marci Aurelii XXV.* adscripsit: sed secundum calculum accuratiorem *Onuphrij Panuinij*, hic non est Annus Æræ Christianæ CLXXII. sed CLXXI. Siquidem constat Marco Tribunitiam potestatem datam esse *Ipso II. & Antonino Pio IV. Coss.* qui fuit Annus Vrb. Cond. DCCCXCIX. Christi CXLVII. Inducit autem me, vt ad Tribunit. Pot. XXV. cum *Brouvero* potius, quam XXVIII. cum *Baronio* referam hanc historiam, Nummorum eodem & sequenti anno cusorum authoritas: non quales *Brouverus* produxit; in quibus victoria duntaxat Germanica, eo modo, quo in nummis aliorum quoque annorum ante & postea, celebratur: sed quales exhibet *Adolphus Occo in Numism. p. 288.* è quibus nemo non videt, quàm eximie huc pertineant illi tres inprimis, in quibus exhibetur IMP. M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXV. COSS. III. (addito in altero, S. C.) *Jupiter sedens, dextra fulmen, sinistra hastam tenens:* tum: M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXVI. IMP. VI. COSS. III. *Victoria coronans Imperatorem, tenentem fulmen.* Argumenta *Baronij* quàm inualida sint, vt ostendere queamus, ipsa fortasse disquisitio subministrabit occasionem.

VII. Ob-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [150] - 6
PUBLIC DOMAIN

VII. Obtinuit Marcus tam miraculosam victoriam bello, quod *Marcomannicum* solent nominare Scriptores; quanquam plurimarum gentium fuerit. *Eusebius* Germanos & Sarmatas duntaxat nominat; pariter vt *Pausanias in Arcadicis*: Plenius enumerat *Capitolinus in Marc. cap. 22. Gentes omnes ab Illyrici limite usq; Galliam conspirauerant, vt Marcomanni, Narisci, Hermunduri, & Quadi, Sueui, Sarmatæ, Latringes & Buri: hi aliiq; cum Victoualis, Sosibes, Sicobotes, Rhoxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini, Costoboci.* Victoriam tamen, vt ita dicam, fulmineam, de Quadis tantum reportasse Marcum scribit *Dio Cassius lib. 71. p. 805.*

VIII. Inchoatum id bellum fuerat, viuo adhuc fratre Marci, L. Vero: hocque in ipsa expeditione A. C. CLXX. extincto, interruptum: justis tamen eidem solutis, statim à Marco solo resumptum est; &, vt modo dicebam A. C CLXXI. hoc mirando facinore patrato, durauit vsque in A. C. CLXXIV. quo Marco Tribunitiam Potestatem XXVIII. gerenti, Appellatio *Imperatoris VII.* jam antea ex acclamatione militum susceptа, vt *Dio* testatur; Senatus auctoritate confirmata est. tradit hæc locis diuersis *Capitolinus*; sed præcipue in *Marco cap. 14. 17. 21. 24.* Addatur *Eutropius lib. 8.* qui bello isti Marcomannico diserte triennium tribuit. vti & *Orosius VII, 15.* & *Eusebius in Chron. ad A. C. 179.* Et confirmat insuper calculum nostrum satis valide, quod in *Nummis* apud *Occonem* titulus *Imp. VII.* Marco partim cum TR. POT. XXVIII. partim XXVIIII. adscribitur.

IX. Iidem, quos modo laudaui, Scriptores, vno velut ore, testantur grauissimum istud bellum fuisse. inprimis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [151] - 7
PUBLIC DOMAIN

inprimis *Eutropius:* cuius verba sunt: *Bellum ipse Marcus vnum gessit, Marcomannicum; sed quantum nullâ memoriâ fuit; adeo vt Punicis conferatur.* Sic & *Capitolinus in Marc. cap.* 17. *Specialiter ipse Marcus bellum Marcomannicum, sed quantum nullâ vnquam memoriâ fuit, tum virtute, tum etiam felicitate transegit.* Sed & *Ammianus Marcellinus lib.* 31. *pag. edit. Vales.* 44. indicat, quantæ clades tum exercitibus, tum vrbibus etiam Romanis hoc bello illatæ sint.

X. Speciatim, quod ad angustias & periculum attinet, è quo per fulmen & pluuiam miraculosam liberatus dicitur Romanus exercitus, narrat *Dio Cassius lib.* 71. *pag.* 805. Romanos in locis opportunis circumdatos à Quadis, testudine factâ strenue se defendisse: atq; ideo hostes omissâ pugnâ, constituisse expectare, donec vndique inclusos & aquâ prohibitos æstus Solis & sitis necaret: jamque Romanos vulneribus pariter ac calore, tum aquæ defectu, non ad pugnandum saltem inhabiles redditos fuisse, sed ad exitium proxime adductos; cùm se Diuinum auxilium exseruit. *Capitolinus in Marc. cap.* 24. consilium istud Quadorum, quo siti necare, pugnâ omissâ Romanos destinauerant, *machinamentum hostium* vocat. vti & *Salmasius in not.* ad illum locum obseruauit. *Orosius* quoque *lib.* 7. *cap.* 15. indolem periculi signauit. *Cum insurrexissent*, inquit, *gentes immanitate Barbaræ, multitudine innumerabiles, hoc est Marcomanni, Quadi, Vandali, Sarmatæ, Sueui, atque omnis pene Germania, in Quadorum usque fines progressus exercitus, circumuentusque ab hostibus, propter aquarum penuriam, præsentius sitis, quam hostis periculum sustinebat.*

XI. Liberationem porro his verbis pertexit *Dio:* Τῶν δὲ Ῥωμαίων ἐν παντὶ κακῷ καὶ ἐκ τῆς καμάτου καὶ ἐκ τῶν τραυμάτων,

των τῶ τε ἡλίω καὶ τῶ δίψει γενομένων, καὶ μήτε μάχεσθαι, διὰ ταῦτα μήτε χωρῆσαί τι δυναμένων, ἀλλ' ἔν τε τῇ τάξει καὶ τοῖς τόποις ἐστηκότων, καὶ καλαικωμένων, νέφη πολλὰ ἐξαίφνης συνέδραμε, καὶ ὑετὸς πολὺς ὃν ἀθεεὶ κατερράγη. *Cum Romani in tantas difficultates incurriſſent, vt labore, vulneribus, ardore Solis, ac ſiti vexarentur, nec ob eas res pugnare poſſent, aut alio ſecedere, ſed in acie ſtantes, & in iis locis conſtituti arderent; multæ nubes derepente ita coactæ ſunt, vt maximus imber ceciderit, non ſine Dei beneficio. Cumq; primum pluuia caderet* (pergit *pag.* 806.) *Romani omnes ſuſpexerunt in cœlum, eamq; in ora receperunt: deinde ſcutis galeisq; ſubiectis biberunt. Barbaris vero irruentibus, cum & bibere ſimul pergerent, & propulſarent hoſtem; ſauciis iam compluribus, grauia damna accepiſſent, vrgentibus hoſtibus; niſi vehemens grando, compluraq; fulmina in hoſtem cecidiſſent. Itaq; videre licebat in eodem loco aquam ignemque ſimul de cœlo cadere, atque ob eam cauſam humectari alios, & bibere, exurique alios ac prorſus interire. Non attingebat ignis Romanos, aut ſi forte ad eos acceſſiſſet, extinguebatur ſubito. Neque imber iuuabat Barbaros, ſed immiſſas eis flammas, etiam magis, velut oleum excitabat: vt aquam requirerent pluuia perfuſi; infligerentque pars ſibi vulnera, quo ignem ſanguine reſtinguerent: pars confugerent ad Romanos, quaſi illis tantummodo aqua ſalutaris eſſet. Pluuiæ* mentionem quoque facit *Capitolinus*: vti & *fulminis*. *Fulmen*, inquit *cap.* 24. *de cœlo contra hoſtium machinamentum extorſit; ſuis pluuia impetrata cum ſiti laborarent.* Poëtice *Claudianus de VI. Conſ. Honor. verſ.* 342.

Laus ibi nulla Ducum: nam flammeus imber in hoſtem
Decidit: hunc dorſo trepidum flammante ferebat
Ambuſtus ſonipes: hic tabeſcente ſolutus
Subſidit galea, liquefactaque fulgure cuſpis
Canduit, & ſubitus fluxere vaporibus enſes.

Sed Christiani Scriptores, pariter vt *Dio* & *Capitolinus* imbrem vel solum nominant, vel adjungunt fulmina.

XII. Maior inter eos dissensus est in judiciis de origine & authore huius miraculi. *Dio Cassius* refert suo tempore, nempe sub Seuero Imp. famam fuisse: Ἀρνῆφίν τινα μάγον Αἰγύπτιον, συνόντα τῷ Μάρκῳ ἄλλους τε τινὰς δαίμονας, καὶ τὸν Ἑρμῆν τὸν ἀέριον ὅτι μάλιστα μαγγανείαις τισὶν ὑπικαλέσασθαι, καὶ δι' αὐτῶν τὸν ὄμβρον ἐπιπράσαι. *Arnuphin magum AEgyptium, qui cum Marco erat, Mercurium præsertim illum, qui est in aëre, aliosque Dæmonas quibusdam artibus magicis inuocauisse, ac per eos pluuiam elicuisse.* Ipse autem judicium suum præmittit, his verbis: καὶ πόλεμον Μάρκῳ συνέστη μέγας, καὶ νίκη παραδόξως εὐτυχήθη, μᾶλλον δὲ ἀπὸ Θεοῦ ἐδωρήθη· κινδυνεύσαντας γὰρ ἐν τῇ μάχῃ τοὺς Ῥωμαίους παραδοξότατα τὸ Θεῖον ἐξέσωσε. *Bellum Marco ingens conflatum est: victoriâ autem ab omni expectatione aliena beatus est, imò Dei potius beneficio donatus. nam cum in prælio periclitarentur Romani, mirabili prorsus ratione Numen eos seruauit.* Non sensit sane de vero Numine *Dio*; interim puto, illum non debuisse à *Xiphilino* mendacii argui in eo, quod famam & rumorem suo tempore de hac victoria sparsam retulit. Ipsam quidem, quæ vulgata erat, famam refutare facile fuerat: non eâ ratione, quam *Xiphilinus* adfert: *quod memoriæ proditum non sit Marcum magorum consuetudine & præstigiis delectatum fuisse:* sed longe fortiori, quod Marcus ipse *de vita sua lib.* 1. disertè profiteatur se didicisse, παρὰ Διογνήτου τὸ ἀκενόσπουδον, καὶ τὸ ἀπιστικὸν, τοῖς ὑπὸ τῶν περιπολουμένων καὶ γοήτων περὶ ἐπῳδῶν περὶ δαιμόνων ἀποτομπῆς, καὶ τῶν τοιούτων λεγομένοις. *A Diogneto, studium abstrahere à rebus inanibus, fidemque abrogare iis, quæ de incantationibus & Dæmonum profligationibus, ac id genus aliis rebus præstigiatores & magi referrent.* Sed non propterea

propterea, quia fama falsa erat, consequitur falsum quoque esse, talem tempore Dionis famam sparsam fuisse. Nam de Legionis nomine quale sit, quod Dioni objicit *Xiphilinus*, infra apparebit. *Capitolinus* citato *cap. 24. Marci precibus extortum de cœlo fulmen*, scribit, harumque precum formulam exhibet ex Themistio *Valesius in Annot. Euseb. V, 5.* *Claudianus* famam *Dioni* annotatam tangit; sed ipse Marci moribus Deos tribuisse miraculum censet:

Tunc contenta polo, inquit, *mortalis nescia teli*
Pugna fuit: Chaldæa mago seu carmina ritu
Armauere Deos: seu, quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri.

Ex *Suida* autem in Ἰουλιανὸς constat, non tantum illam de Arnuphi, mago, siue vt ipse appellat, Philosopho Ægyptio, opinionem viguisse: sed & alios fuisse, qui Juliani incantationibus id tribuerent. Quod vero *Scaliger* ex *Lampridio* insuper huc adfert, Marcum per Chaldæos & magos id egisse carminibus & consecratione, vt Marcomanni Pop. Rom. semper deuoti essent, atque amici: id vero puto ab isto quidem miraculo prorsus alienum esse.

XIII. Ex nostris Scriptoribus antiquissimum ipsique huic victoriæ σύγχρονον testem producit *Eusebius* ad firmandam narrationis suæ, vti supra proposita est, fidem, *Apollinarem*, siue, vt Græci nominant, Ἀπολινάριον, Hierapolitanum Episcopum. Cuius authoritas, vtpote Scriptoris coæui prorsus historiæ quam scripsit, tanta est propter antiquitatē; vt ne ipsum quidē *Dionem*, ne dū *Capitolinum*, aut *Themistium*, vel deniq; *Claudianum* existimem potiorem rumori suorum temporum, vel suis coniecturis propriis, fidem arrogaturos fuisse. Ex operibus

ribus eius memorantur præcipuè *Euſebio Hiſt. Eccl. IV*, 27. Aduerſus Gentes libri quinque: de veritate duo. quibus addit *Photius* aliud opus *de pietate*. Qui de cætero luculentus, etiam de ætate eius & præſtantia teſtis eſt. ita enim ille in *Biblioth. cod. XV*. ἤνθησε δὲ ἐπὶ Μάρκου Ἀντωνίνου βήτορα βασιλέως Ῥωμαίων· ἀξιόλογος δὲ ὁ ἀνὴρ ἐμφάσει ἀξιολόγῳ κεχρημένος. *Floruit M. Antonini Veri, Romæ imperantis tempore. Vir ſane memorandus & dictione præſtanti uſus.* Atque ex hoc confirmat tum in vniuerſum *Euſebius* opem diuinam Antonino Chriſtianorum precibus obtentam: tum id repetit præſertim, quod ſupra de nomine legionis *fulminatricis* annotatum eſt. hoc nimirum vocabulo, tanquam rei congruente illam ab Imperatore inſignitam fuiſſe.

XIV. Atque de precibus Chriſtianorum, quod per illas Marco & exercitui Romano imber exoratus ſit: quodque id Imperator ipſe agnouerit, maximi merito momenti præterea viſum eſt *Euſebio* teſtimonium, quod in *Apologetico cap. 5. Tertullianus* præſtat, cum ſcribit: *edimus protectorem, ſi literæ Marci Aurelij grauiſſimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam ſitim Chriſtianorum forte militum precationibus impetrato imbri diſcuſſam conteſtatur.* Literas quidem, quæ hodie ſub nomine Marci circumferuntur, ſubjunctæ *Apologetico Juſtini Martyris*, falſitatis tam aperte conuicit *Scaliger ad Euſeb. Chron. p.* 222. adſtipulante *Salmaſio ad Capitolin. Marc. cap.* 24. Vt non otioſe minus facturus ſit, qui de authoritate illarum denuo diſputare, quam qui eidem inniti, aggredietur: at quis credet Tertullianum, apud Senatum Romanum, ad literas Marci in tam graui & periculoſa diſputatione prouocaturum fuiſſe, ſi

vel

vel extare illas, vel id, quod producit, comprehendere, non certo certius sciuisset? *Orosius* non videtur æque certus de his literis fuisse; ait enim: *extare etiam nunc apud plerosque dicuntur literæ Imperatoris Antonini, vbi inuocatione nominis Christi per milites Christianos, & sitim illam depulsam, & collatam fatetur fuisse victoriam. Eusebius in Chron.* ore ipsius *Tertulliani* loquitur. Historiam interim ipsam non minus asseueranter percenset *Orosius* quam *Tertullianus*: qui alibi quoque, *ad Scapulam* nempe *cap.* 4. scribit: *Marcus Aurelius in Germanica expeditione, Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti sua impetrauit.*

XV. Nec est, vt quis existimet *Tertulliani* fidem vacillare, vel propter nummos ex *Occone* supra productos, in quibus Jupiter aut Imperator etiam ipse Marcus exhibetur cum fulmine; vel propter monumentum Joui, vt apparet, Fulminatori Romæ ob hanc victoriam erectum, quod cernere est apud *Baronium ad A. C.* 176. vel denique propter picturam, in qua suo adhuc tempore Imperatorem precantem & cœlum in suam opem exorantem repræsentatum fuisse scribit *Themistius*. Licet enim nummis, & monumento Baroniano concedatur, vti libenter concedimus, Marcum Imperatorem non agnouisse verum Deum, à quo Christiani milites tam potens auxilium impetrauerunt: non tamen inde contra Tertullianum concludi poterit, Marcum non agnouisse, quorum militum precibus, à quocunque denique Deo hanc victoriam impetrasset. nam quod ignotum Numen sub habitu Jouis consecrauit ac coluit, id miraturum neminem puto. Et sunt præterea talia monumenta victoriarum vel in nummis, vel

in marmoribus, vel alio quocunque picturæ genere plerumque non ab Imperatoribus ipsis, sed in honorem Imperatorum, à Senatu Romano exhibita. Ne de eo jam dicam, quod de pictura *Themistij* ne constet quidem, priuatâ an publicâ auctoritate facta fuerit.

XVI. *Milites Christianos* generatim duntaxat nominat *Tertullianus*, vti loca adducta ostendunt; neque singillatim exprimit, cuius legionis fuerint: vti nec *Orosius*: cuius verba sunt: *Ad inuocationem Nominis Christi, quam subito magnâ fidei constantiâ, quidam milites effusi in preces palam fecerunt, tanta vis pluuiæ effusa est.* quin pro comperto fere habeo haudquaquam de legionis certæ militibus, nedum de Legione integra sensisse *Orosium*: addit enim paucis interiectis: *Romani hostium terga usque ad internecionem cædentes, glorioſissimam victoriam, & omnibus pene antiquorum titulis præferendam, rudi paruoque militum numero, sed potentiſsimo Christi auxilio, reportarunt.* Primus, quod ego quidem sciam, *Eusebius* nominat τὰς ὅλη τῆς μελιτινῆς ὕτω καλεμένης λεγεώνος στρατιώτας. *milites Legionis Melitinæ.* Huncque haud dubie vnum cæteri, qui nomen idem usurparunt, præsertim *Xiphilinus* habuerunt pro fundo. Nam *Gregorius Nyssenus*, cuius ex *Orat. 2. de XL. Martyr.* locum adfert *Baronius*, præterquam quod videtur & ipse haustam ex *Eusebio* historiam ornatu duntaxat oratorio auxisse, de loco vbi parta est hæc victoria, vti & de militibus, quorum precibus parta est, adeo indeterminate loquitur, vt ex illo non minus facile probari possit, rem istam Melitinæ, quam à militibus Melitinensibus gestam fuisse. *Epistola* suppositicia *Marci*, inter legiones quæ cum Imperatore fuerunt, Melitinam non nominat.

nat. Sed eius, in alterutram partem, non maior sane ratio habenda est, quam si in mundo non esset.

XVII. *Eusebium* quod attinet ; nisi admodum fallor, putauit is *Apollinarem* se præeuntem habere, cum Melitinam Legionem nominauit: apud quem scriptum nimirum repererat : Legionem cuius precibus miraculum perpetratum est, exinde congruo rei vocabulo fulmineam ab Imperatore cognominatam esse. Eandem autem Melitinam legionem dictam , quæ & Fulminea vel Fulminatrix , aliunde putabat esse exploratissimum. Et licet sanè *Iosephus Scaliger in Animadversionibus Eusebianis* scribat: *Melitenes legionis memoriam omnem intercidisse, neque vnde nomen acceperit sciri: nec posse dictam videri* ἀπὸ τῆς Μελιτίνης *Vrbe Cappadociæ: cum ab ea sit* Μελιτινῶ, non Μελιτινός. ostendit tamen *Salmasius in not. ad Capitol. Marc. cap. 24. Melitenam Legionem* vtique dici potuisse à *Melitina Cappadociæ Vrbe*: quæ Græcis non Μελιτίνη sed Μελιτινή, & cuius ἐθνικὸν non Μελιτινῶ sed Μελιτηνός dici consueuerit. idque probat ex *Stephano de Vrbibus voce* Μελιτηνή. Cuius appellationis ratio tanto verisimilior est; quod ex *Dione Cassio lib. 55. p. 564.* constat Legionem XII. Fulminatricem ab Augusto constitutam, & in Cappadocia collocatam. Sequiori æuo eandem Legionem, apud Melitinam oppidum, sub dispositione Ducis Armeniæ constitutam fuisse, dubitationi omni eximit *Notitia Imp. Orient. pag. 99. Præfecturæ Legionis duodecimæ Fulmineæ, Melitenæ.*

XVIII. Itaque si mentem *Eusebij* satis assequor; existimauit ille, Legionem XII. usque ad tempus hujus miraculi, Melitenam dictam fuisse; postquam autem milites eius, precibus suis fulmen è cœlo prouocarunt, nomen

nomen *Fulmineæ* vel *Fulminatricis* accepisse: idque testatum esse Apollinarem, cum scripsit: ἐξ ἐκείνου τοῦ διʼ εὐχῆς τὸ ἔνδοξον πεποιηκέναι λεγεῶνα, οἰκείαν τῷ γεγονότι πρὸς τοῦ βασιλέως ἐπιφήναι προσηγορίαν κεραυνοβόλον τῆ Ῥωμαίων ὀπλιτεθεῖσαν φωνῆ. *Ex eo Legionem cuius precibus miraculum perpetratum est, congruo rei vocabulo fulmineam ab Imperatore cognominatam esse.*

XIX. Hoc vero si sensit *Eusebius*, vti sensisse manifestum est, grauiter sibi obloquentem habet inscriptionem Tergestinam veterem, quæ Legionem XII. quam in Cappadocia ponit *Dio*, jam Trajani tempore *Fulminatricem* cognominatam docet. Produxerunt illam *Baronius*, *Scaliger*, alii. In *Opere Gruteriano pag.* 193. *n.* 3. exhibetur in hunc modum:

Q. PETRONIVS. C. F. PVP. MODESTVS. P. P. BIS LEG. XII. FVLM. ET LEG. I. ADIVTRIC. TRIB. MIL. COH. V. VIC. TR. COH. XII. VRB. TR. COH. V. PR. PR. DIVI. NERVÆ. ET. IMP. CÆS. NERVÆ. TRAIANI. AVG. GERM. PROVINC. HISPANIÆ. CITER. ASTVRIÆ. ET CALLECIARVM. FLAMEN. DIVI. CLAV. DEDIT. IDEMQVE DEDICAVIT.

Neque ego sane rationem excogitare possum, qua erroris *Eusebius* possit absolui. Nam *Brouverus*, qui in *Annal. Trev. part.* 1. *p.* 171. vetus nomen Fulminatricis legionis in Melitenam translatum scribit, non satisfacit.

XX. *Apollinarem* tamen, eodem tempore vt præmonui, viventem scribentemque, quo militibus Christianis id dedisse Marcum asseuerat, vt Legionem, in qua militabant, Κεραυνοβόλον *Fulminatricem* appellaret, vt falsi

falsi arguam, nondum inducor. Id in dubium neutiquam voco, *Legionem XII. Melitenam ante Marcum jam appellatam fuisse fulminatricem: atque adeo nomen hoc à Marco non accepisse:* sed hinc sequitur tantum, *Eusebium* similitudine nominis deceptum fuisse; qui Legioni Melitenæ nomen *fulminatricis* à *Marco* inditum scripsit. Contra Apollinarem vero, qui Legionem, cuius milites Christiani fulmen & imbrem precibus impetrauerant, à Marco *fulminatricem* cognominatam asseruit, nihil hinc validè concluditur. Nam I. nihil impedit, aliam quandam Legionem à Marco Fulminatricem dictam esse; etiamsi constet Legionem XII. jam sub Trajano idem nomen gessisse. II. Præsertim cum alio significatu illa XII. alio hæc nostra id nominis acceperit, gesseritque. *Illa* enim *Fulminatrix* dicta est, quia vel scutis milites eius picta fulmina præferebant, vti conjicit *Christoph. Adam. Rupert. observ. in Synops. Besold. cap.* 14. *pag.*330. vel quia in signis militaribus aquilam fulmini insidentem habebat: *hæc*, quia precibus suis quodammodo fulmen in hostes jaculata fuerat. Hinc, quod inprimis obseruandum arbitror *Dio Cassius lib.* 55. *p.*564. illam κεραυνοφόρον, quasi *fulmina gerentem:* Apollinaris vero hanc nostram κεραυνοβόλον quasi *fulmina jaculantem* nominauit. quod diuersitatem apertè demonstrat. III. Neque obest huic sententiæ, quod *Dio Cassius* in enumeratione Legionum Romanarum vnius tantum Fulminatricis, vel Fulminiferæ, non autem huius Fulminum jaculatricis mentionem faciat. præterquam enim quod Scriptoris recentioris silentium, aduersus coæui disertum & expressum testimonium minime validam consequentiam parit: vero haud est absimile in-

secutis persecutionibus vel dissipatam esse iterum hanc legionem, vel nomen eius saltem abolitum: vti causis multo leuioribus alias legiones dissipatas fuisse, *Dio* ipse *citato lib.* 55. fatetur. quarum nomina itidem non recenset. IV. Licet parum probabile sit, totam legionem militum Romanorum, tempore Marci Christianam jam fuisse; id tamen nouum aut inusitatum non est, vt paucorum etiam militum præclara facinora legioni integræ imputentur tribuanturque à Scriptoribus, vel interdum publice nomen peculiare pariant. V. Quare autem miremur, Marcum in hanc expeditionem secum Christianos duxisse? Cum *Capitolinus in Marc. cap.* 21. testetur, *Illum ob idem istud bellum seruos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam parasse; eosque Voluntarios exemplo Volonum appellasse. Armasse etiam gladiatores & obsequentes appellasse. Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ milites fecisse. Armasse & Diocmitas. emisse & Germanorum auxilia: omni præterea diligentia parasse legiones.*

XXI. De *Xiphilini* loco cur non seorsim agam, credo apparere. vti &, quare cumulandis recentiorum testimoniis abstinuerim. quibus vt fidei nihil addi Veterum narrationibus: ita nec detrahi quicquam potest.

FINIS.

7.

C. D.

DE

TRIBUNICIA CAESS. ROMM. POTESTATE.

I. MUlta quidem hujus argumenti ſcitu explicatuque digna occurrunt in vetuſtis monumentis; ſed uſus præcipui obſervationem hodie ſibi vindicat *accuratior temporum notatio:* cui præſidium inde diligentiſſimos quosque Faſtorum atque Annalium conditores videas mutuari. Vid. Baron. Annal. Eccl. ad A. C. 150. n 6. A. 171. n. 2. A. 276. n. 1.

II. *Summi faſtigij vocabulum* nominat *Tacitus*, docetque *ab Auguſto repertum, ne Regis aut dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliquâ cætera Imperia præmineret.* Sed *Tacito* obvertunt *Dionem*, & conſtitutis, velut inter diſſentientes, partibus, utrique accedunt aſſertores non contemnendæ authoritatis. Scribit ſane de Julio Cæſare *Dio*, Romanos illi contuliſſe τὴν ἐξουσίαν τῶν δημάρχων διὰ βίυ. *poteſtatem tribuniciam perpetuam.* Attamen novum inſtitutum fuiſſe, cujus repertorem 3. A. 56, 2. vid. Iul. Cæſ. Buleng. de Imperat. Rom. I, 14. Iac. Guther. de Off. dom. Aug. I, 39. lib. 42. pag. 194.

Augustum celebrat *Tacitus*, vel id docere queat, quod Julius vim dominationis præcipuam, dictaturæ perpetuæ nomine complexus, tribuniciam potestatem inter titulos imperii solennes nunquam adhibuit. Ut non nisi partem hujus inventi præiverit Augusto; etiamsi concedas, quod tamen erudite negat *Gutherius*, jure tribunicio sacrosanctum fuisse.

conf. Lipsius ad Tac. 3. A. 56.

de Off. dom. Aug. I, 39.

Sed de Augusti consilio plenius mox suo loco tradetur. De ipsius vero vocabuli origine non debebant Viri eruditi *Tacitum* intelligere. qui non potuit utique ignorare, pridem ante Augustum ordinariam Tribunorum plebis potestatem isthoc potissimum nomine signatam fuisse. quæ & postea sub Cæsaribus, quanquam valde imminuta, perduravit; sed ut à *Tribunicia Principum potestate* semper, si non appellatione ipsa, at vi certe appellationis & significatu distingueretur. Miscet tamen, cogitque sub locum veluti communem *de Tribunis plebis*, *Julius Cæsar Bulengerus*: errore manifesto; à quo facile potuisset deduci testimoniis, quæ ipse alibi cumulat. An cum *Ludovico Aurelianensi* putavit, *Imperatores, cum Tribuniciam potestatem acciperent, Tribunos plebis factos?* ita sensisse jam olim videtur vulgus: sed aliter æstimari volebant Tribuniciam potestatem in titulis suis Principes ipsi. Testis & interpres gravissimus *Dio*: δημαρχεῖν μὲν γὰρ, ἅτε καὶ ἐς τὰς εὐπατρίδας πάντως τελοῦντες, οὐχ ὅσιον νομίζουσιν εἶναι· τὴν δὲ δὴ δύναμιν τὴν τῶν δημάρχων πᾶσαν ὅσπερ τὰ μάλιστα ἐγένετο, προσλαβόντες. & paullò post, non diserte minus: ἀφ' ἧς δὴ καὶ ἐκεῖνος (ὁ Αὔγουστος) καὶ ἐπ' αὐτοῦ αὐτοκράτορες ἐν νόμῳ δὴ τινὶ τοῖς τε ἄλλοις καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τῇ δημαρχικῇ ἐχρήσαντο. τὸ γοῦν τοι ἴνωμα αὐτὸ τῶν δημάρχων εἶχεν ὁ Αὔγουστος, ὅτ' ἄλλως εἰδείη αὐτοκράτωρ ἔχειν.

Dio. lib. 53. p. 508.

p. 519.

III.

Quod

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [164] - 2
PUBLIC DOMAIN

IV. Quod igitur, *pars regalis imperij* ut *Vopiscus* vocat, sive ut ex *Tacito* modo referebamus, *summi fastigij vocabulum* habita est *Tribunicia potestas*, id vel ipso *Dione* suffragante ab Augusto repetendum. Cujus undecimo Consulatu scribit *exortum esse ut & ipse Augustus & Successores ejus Tribunicia potestate uterentur.* Nam cum antea eadem illi bis fuisset oblata, semel vivente adhuc Antonio, cùm devicto mira felicitate Pompejo, & compositâ seditione militari, in Urbem fuisset reversus; iterumque post victoriam Actiacam: nihil aliud inde sibi videtur aptasse quàm *tuendæ plebis* prætextum, quo & Pater Cæsar suas partes firmaverat. Postquam vero *paulatim* ab hoc primordio *insurgens*, etiam cætera *munia Senatus, Magistratuum, Legum in se traxit*, Populumque oratione magnifica, qua se redditurum rempublicam fingebat, accendit ut *Dictaturam perpetuam* magna precum atque obtestationum vi sibi obtruderet; ratus ematuruisse, cui hactenus insidiatus fuerat, stabiliendæ in perpetuum Monarchiæ occasionem, hoc potissimum velamentum tegendis pariter muniendisque novi Principatus propositis excogitavit, quod unice tum efficax erat, ab odio & invidia civium, securitatem Principis, & adductissimi, quale formabat, imperii authoritatem ita fejungere: ut cæteris magistratibus præmineret, nec præminere tamen iis nominibus intelligeretur, â quibus quæsita Antecessori majestas in exitium verterat. Nec dum enim adoleverat eousque servitium publicum, quin *Dictatura*, & non ultra quam oblatum *Regis* nomen, quæ apud Cæsaris interfectores pro incitamento necis patrandæ fuerant, etiam tum multis inter excusandæ titulos jactarentur. Tribuniciæ vero potestatis nomen, præterquam quod status

Gir. Tacit. c. 1.

Appian. B. C. lib 5. p. 747.

Dio lib. 51. p. 457. Tac. 1 A. 2,2.

Suet. Aug 52.

Suet. Iul. 76.

Farbkarte #13
Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [165] - 3
PUBLIC DOMAIN

Bæcl. ad Tac. I. A. 2. Add. Forſtner. ad Tac. I. A. pag. 14. & ſeqq. Clapmar. Arcan. lib. 6. cap. 6. Comm. Faſt. lib. 2. p. 179.

priſtini non ſpeciem modo ſed authoritatem præferebat, complectebatur inſuper quicquid popularitati blandimentorum ineſt. quorum vis atque gratia geminabatur oppoſitu dictaturæ, quam abdicabat Auguſtus, cum Tribuniciam poteſtatem reciperet: ſi recte habet ſupplementum quo fragmenta *Tabulæ Capitolinæ* ſarcivit *Onuphrius*: *Imp. Cæſar Divi F. C. N. Auguſtus dictator perpet. appel LATUS. EST. ABDICAVIT. TRIBUNIC. poteſt. acceptâ.* eratque adeo hæc ſelectiſſima opportunitas, odioſiſſimi tituli permutandi cum gratioſiſſimo: quorum ille ſubruendæ, hic tuendæ libertati fuerat comparatus. Et accedebat hinc æqualitatis democraticæ favor. cui vel propterea tribunicii juris augmenta non videbantur refragari, quia illi potiſſimum conſervandæ natum, per ſuperiorum temporum certamina, adverſus inimica populari libertati faſtigia excreverat. Sed hæc ſimulacra nimirum erant & involucra occultatura culmen illud quo præminere cætera imperia volebat Auguſtus, non depreſſura: neque hebetatura eminentiæ monarchicæ radios, quamvis illorum ſplendorem in oculis intuentium mitigarent. Omnino enim hîc, (quæ ſunt verba Beati *Bæcleri* noſtri) *cum democratiæ ſimulacrum nominatur, cogitanda eſt vis Monarchiæ. quæ non melius quam ſub diverſiſſima facie intendi poterat.*

Vid. Clapmar. Arcan. lib. 3. cap. 23. Bæcl. ad Tac. Annal. I. 2. p. 48. Bodin. de Rep. III, 6. p. 317.

Briſſon. de Form. lib. 2. p. 237.

Cic. de LL. III, 3. Dionyſ. Halic. VI. p. 410. Dio. Lib. 53. p. 908. III, 55.

Supererat ex incunabulis Tribunatus, quod VETANDO intercedere magiſtratuum reliquorum placitis, eaque irrita reddere poterant Tribuni; ipſi vero ut facerent quid invitis vel omitterent, cogi ab alio nemine. Ad hoc ut ſacroſancti eſſent & inviolabiles, lædique adeo dicto vel facto â quoquam ſine capitali reatu non poſſent. Nam quod apud *Livium, juris interpretes*

V.

interpretes lege, quæ de securitate Tribunorum plebis, ædilium, judicum, decemvirorum lata est, ut qui horum alicui nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset, negabant *quenquam sacrosanctum esse; sed eum qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri* : id partim ad nominis rationem pertinet; partim referendum est ad declarandam Tribunorum plebis præ cæteris magistratibus eminentiam & prærogativam singularem: quos eodem loco testantur juris interpretes, *vetere jurejurando plebis, cum primum potestatem eam creavit*, utique *sacrosanctos esse factos*. atque hinc prehendi ducique à majoribus magistratibus non potuisse. cum ipsi jus prehensionis in quosvis alios exercerent. *Vid. H. Grot de Iur. 63. P. III, 19, 8. Gell. N. A. XIII, 12. Suet. Tib. c. 11.*

VI. Accesserunt nova subinde incrementa: ut rogare legem possent, universum populum obligaturam: itemque ut Senatum convocare & ad eum de Repub. referre. quod antea Consulibus proprium fuerat. unde non dubitavit de suis adhuc temporibus scribere *Lælius Felix libro primo ad Q. Mucium* : tribunos neque advocare patricios, neque ad eos referre ulla de re posse. sed hoc jus pridem fuisse antiquatum discas ex *Dionysio Halicarnassensi*. qui jam ab Icilio Tribuno pl. M. Valerio & Sp. Virginio Coss. imminutam hac parte Consularem potestatem, Tribunosque in ejus consortium assurrexisse, refert. ut rem haud quaquam novam instituerit Tiberius, quando ipse quoque *edictum, quo patres in curiam vocabat, Tribuniciæ potestatis præscriptione posuit sub Augusto acceptæ*. *Liv. III, 55. Gell. N. A. XV, 27. Ant. lib. 10. p. 657. Tac. I. A. 7. Suet. Tib. c. 23.*

VII. Etenim ex instituto Augusti assumebant Imperatores Tribuniciam potestatem, cum accessionibus hisce aliisve omnibus, ὅσπερ τὰ μάλιστα ἐγένετο ut *Dio* complectitur : nempe cum illo etiam insigni augmento, *lib. 53. p. 508*

quo sub nomine Tribuniciæ potestatis antea P.R. concesserat Augusto, τοῖς ὀπιβοωμένοις αὐτὸν, καὶ ἐντὸς τῆ πωμηρίε καὶ ἔξω μέχρι ὀγδόε ἡμισαδίε ἀμύνειν, ὅ μηδενὶ τῶν δημαρχούντων ἐξῆν. quod *idem paulo ante* annotavit. Qui de cætero & reliqua momenta hujus elogii diligenter expressit, & robur ejus atque efficaciam haud postremam inde repetendam admonuit, quod jure ordinario & in statu libertatis usitato, præcipua quæque, quibus summi imperii potestas eminet, in Imperatores devolvere videretur, ita ut ea omnia velut legibus concessa possent agere. Adde quod lex de sanctimonia Tribunorum Plebis, jurejurando sacrata erat, quo se posterosque suos Populus Romanus imprecatione singularis exempli devoverat, si ab ejus observatione unquam recederet.

lib. 51. p. 457.

Ant. lib. 6. p. 410. ἵνα μὴ εἰς τὸ λοιπὸν (inquit *Dionysius Halicarnassensis*) τῷ δήμῳ ἐξουσία γένηται καταπαῦσαι τὸ δὲ τὸν νόμον ἀλλ' εἰς πάντα τὸν χρόνον ἀκίνητόν διαμένῃ, πάντας ἐτάχθη Ρωμαίους ὀμόσαι καθ' ἱερῶν, ἢ μὴν χρήσεσθαι τῷ νόμῳ καὶ αὐτοὺς καὶ ἐγγόνους τὸν ἀεὶ χρόνον.

Eminebat itaque per hoc etiam jusjurandum Tribunicia potestas præ cæteris imperiis: non tantum quia, ut ex *Livio* superius referebamus, religione publica defendebatur, sed quia insuper hac ratione sanctimonia ejus perpetua reddita est. Ut omnino apta esset hæc appellatio, qua non magis sua imperia *præmuniret* Augustus; quomodo emendandum *Taciti* locum contendit *Guthèrius*; quàm cæterorum magistratuum imperia *præmineret*, ut vulgata lectio habet; quam puto veriorem. Nam cur verbum *præminere* tanquam *à probatis authoribus vix receptum*, isthic non feramus? quod tot locis aliis indubie *Tacitus* usurpat; nove quidem, sed ex usitatissimis, nec absque ratione compositum. *Ludovici* vero *Aurelianensis*, pro, *imperia præmineret*,

IIX.

de Offic. dom. Aug. I, 39.

12. A. 33. 1. 15. A 34, 3. &c. ad. d. loc. Tac.

neret, reponentis *imperio præmineret*, multo etiam minus ferenda est mutatio.

IX. Ipse Augustus hoc invento suo & statim gloriatus est publicis monumentis, & postea fortiter usus, quando successoribus exemplum instituit, ut Tribuniciæ potestatis præscriptione quidem annos imperii signarent, communicatione vero, monarchicam successionem adornarent. Suberat civilis animi species, cum Augustus *per singula lustra semel atq; iterum in Tribunicia potestate collegam sibi cooptaret.* Sed parabantur subsidia stabiliendo in domo sua principatui. cujus sive spei sive consilii propiora veluti munimenta sicut ipse primo in Agrippa, mox in Tiberio sibi comparaverat; quando illos hoc inter cætera ornamento in summæ fortunæ non successionem modo, sed consortium auctoravit: ita non indocilem hujus quoque artis imitatorem reliquit. *Isthoc* enim *exemplo* Tiberius æque valide, sed & æque occulte provisurus *ne successor in incerto foret, quia sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur, Drusum summæ rei admovit.* quod postea diu, cum tali calliditate imperantibus opus amplius non esset, honoris tamen dignitatisve causa retentum est.

Fulv. Vrsin. & Cl. Pattin. in Fam. Rom. passim.

Suet. Aug. c. 27.

Tac. 3. A. 56, 3.

X. Ita cum *perpetuam* recepisset Augustus Tribuniciam potestatem, quia nempe *consultum non videbatur, vel ad momentum dimittere hoc Palladium sanctitatis*; renovari tamen annuatim placuit; tum ut imago tribunatus ordinarii, qui per leges annuus erat, conservaretur, tum quia majestatis hinc petitæ vigor quo crebrius resuscitabatur, eo vilescere minus poterat. idemque institutum secutus est Tiberius. etiam cum quinquenniis hanc potestatem ipsi admetiretur populus. & id morem peperit, ut anni Principatus deinceps Tribuniciæ potestatis serie

Bæcl. ad Tac. I. A. 2.

Suet. Tib. c. 9. & 19.

serie numerarentur. Qui non ab eo demum tempore introductus est, ut opinari Viros quosdam eruditos video,

Tac. 3. A. 57. 2. quo *M. Silanus in Senatu pro sententia dixit, ut publicis privatisve monimentis, ad memoriam temporum, non Consulum nomina præscriberentur; sed eorum qui Tribuniciam potestatem gerebant.* Verum ab Undecimo statim Consulatu Augusti, quo jam superius ostensum est hunc veluti solennem titulis Imperatoriis characterem accessisse. Nam Silani quidem sententia, qui ex contumelia Consulatus, honorem Principibus petiverat, nec tum nec postea unquam obtinuit. mansit quippe qui tum fuit mos, ut memoria temporum præscriptis Consulum nominibus distingueretur. Sed annos duntaxat Principalis aut Cæsarei fastigii, eo quo mox explicabimus modo, signabat numerus Tribuniciæ potestatis.

Qua quidem in re probanda licet assiduus omnium fere quotquot supersunt publicorum monumentorum usus alia quævis testimonia superflua reddat, extat tamen & diserta *Dionis Cassii* annotatio: quam hactenus pro fundo non immerito habuerunt, qui juxta isthanc cynosuram emendare annalium fastorumque computationem aggressi sunt. XL.

lib. 53. p. 508. Δι' αὐτῆς (τῆς ὑπὸ δημάρχων ἐξουσίας) inquit ille, ἡ ἐξαρίθμησις τῶν ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτῶν (τῶν αὐτοκρατόρων) ὡς καὶ κατ' ἔτος αὐτὴν μὴ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων λαμβανόντων, προβαίνει. inde quotidianum in publicorum operum, nummorumve, sed & rescriptorum Imperatoriorum inscriptionibus: TR. P. vel TRIB. POT. II. III. &c. & in Græcis monumentis ΔΗΜ. ΕΞ. Α. Β. Γ. vel simplicius ET. A. B. vel L.A. L.B. quo non minus, quàm prioribus illis literis, annos Tribuniciæ potestatis signari usitatum fuit. quanquam se mihi nondum probaverit

XII.

XIII.

baverit vulgata hujus notæ L. expositio; ut hac velut initiali literâ, Λυκαβας, prisco significatu, sicut ex *Macrobio* repetunt, pro *anno* indicari videatur. nimis graviter urgent in adversum, quas illi pridem in *Animadversionibus Eusebianis Scaliger* rationes opposuit. Cujus tamen nec Λεπτον universe arridet. Potius accesserim *Casaubono* qui pro signo circumductionis habuit, quo literæ in versus fine redundantes, vel numerales notæ includi solitæ sunt. *An.* 1294. *ad Suet. Aug. c.* 87.

XII. Est autem hic minime prætereunda *Onuphrii Panvinii* observatio: *Annos Tribuniciæ potestatis â primo quidem imperii die numerandos in iis Imperatoribus, qui ex privatis statim ad Imperii fastigium evecti essent. aliud vero numerandi principium esse quærendum in iis qui ante fuissent imperii successores ab aliis designati. ut ab Augusto Tiberius, â Vespasiano Titus, â Nerva Trajanus, ab Hadriano Pius, â Pio Marcus, ab hoc Commodus, â Severo Caracallus & Geta: qui Tribuniciam potestatem ante diem singularis eorum imperii obtinuerunt.* *ad lib. 2. Fast. p.* 177.

XIII. Quæ satis ostendit frustra se in confutanda vulgata opinione *Scaligerum* torsisse, cum ex nummis M. Aurelii Phil. in quibus legerat L.ΛΔ. vel in Titi L.ΙΑ. vel in Pii L.ΕΙΚΟCΤΟΥ ΤΕΤΑΡΤΟΥ. eam impugnaret. hi enim tot annis licet non imperaverint, gesserunt tamen Tribuniciam potestatem; cujus in his nummis calculus signatur. Utpote cujus consortium ante adepti fuerant, quam imperarent. De Marco perspicuum est *Capitolini* testimonium: *Secundum etiam Cos. designavit* (Pius) *cum ipse quartum pariter iniret --- --- Post hæc Faustinam duxit uxorem, & susceptâ filiâ, Tribunicia potestate donatus est, atq; Imperio extra urbem Proconsulari.* De Tito *Suetonius*, postquam reditum ejus in Urbem descripsisset, addit: *in M. Ant. Phil. c.* 6. *Tit. c.* 6.

addit : *Neq; ex eo deſtitit participem atq; etiam tutorem Imperij agere. Triumphavit cum patre, cenſuramq; geſſit unâ. Eidem collega & in Tribunicia poteſtate, & in ſeptem Conſulatibus fuit.* De Antonino Pio *Capitolinus* iterum. *Adoptatus eſt quinto Kalendas Martias die. Factusque eſt Patri & in Imperio proconſulari, & in Tribunicia poteſtate collega.*

Ant. Pio C. 4.

Major difficultas ſupereſt in eo, quod nonnunquam etiam in illorum Imperatorum titulis, qui, ut *Onuphrius* loquitur, *ex privatis ad imperij faſtigium evecti ſunt*, numerus tribuniciæ poteſtati adſcriptus, annos imperii illorum videtur excedere. Seligemus tria exempla intricatiora : Nervæ, Severi, tum Galli Hoſtilii & Voluſiani. Et *Nervæ* quidem imperio aſſignat *Dio* annum duntaxat *unum*, menſes *quatuor*, dies *novem* : nec diſcrepant niſi paucis diebus *Chryſeros*, *Clemens Alexandrinus*, *Theophilus Antiochenus*, *Euſebius*, *Eutropius*, cæteri. At ſupereſt vetus inſcriptio reperta Romæ in epiſtyliis columnarum palatii Nervæ in foro ipſius : XIV.

ap. Gruter. p. CLXXXV Inſc. 4.

IMP. NERVA. CÆS. A...
TRIB. POTEST. III. IMP. II.

cui ſuffragantur nummi, in quibus :

ap. Golz. & Occon. in Ner.

IMP. NERVA CÆSAR AVG. GERM.
P. M. TR. P. III. COS. IIII. IMP. II. P. P.

itemque :

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ ΝΕΡΟΥΑ ΚΑΙϹΑΡΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟΥ
ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ ΕΤΟΥϹ Γ.

&

ΑΥΤ. ΝΕΡΟΥΑϹ. ΚΑΙϹ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΔΗ. ΕΞ. Γ.

In

In annis *Severi* assignandis talem scriptorum consensum deprehendere non licet; Nam *Herodianus* III, 15. regnasse scribit ἐκτωκαίδεκα ἔτεσιν; quot illi etiam tribuit *Victor*: sicut & alii; qui nimirum utuntur numero rotundo: *Spartianus* tradit decessisse anno Imperii de- c. 19. cimo octavo. Sed *Dio Cassius*, qui eodem quo Severus tempore floruit, quique & ipsius Severi, & Filiorum ejus res accuratissimæ habuit cognitas, designat specialius, præfinitque annos Imperii *septendecim*, menses *octo*, dies *tres*. In titulis tamen & elogiis publicis occurrit:

SEVERVS PIVS AVG. BRIT.
P. M. TR. P. XIX. COS. III. P.P.

item:

P. M TR. P. XVIIII. COS. III. P.P.

Gallo Hostilio & *Volusiano* adscribunt, qui diligentius computant, imperii annos *duos*, menses *quatuor*. Cum ap. Occon. An. I.C. 256 in nummis eorundem legatur diserte:

IMP. C. C. VIB. TREB. GALLVS P.F. AVG.
P. M. TR. P. IIII. COS. II. P.P.
tum
IMP. CÆ. C. VIB. VOLVSIANO AVG.
P. M. TR. P. IIII. COS. II. P.P.

& in Græcis:

ΑΥΤ. Κ, Γ. ΟΥΙΒ. ΤΡΕΒΩΝ. ΓΑΛΛΟϹ ΔΗΜ. ΕΞΟΥϹ. Δ.

item:

ΑΥΤ. Κ, Γ. ΟΥΙΒ. ΟΥΩΛΟΥϹΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. ΔΗΜ. ΕΞΟΥϹ. Δ.

Putavit quidem *Onuphrius*, tolli plerasque contradictiones ea computandi ratione, quam ipse commonstravit, quaque cum annis imperii ita perducit numeros Tribuniciæ potestatis, ut quo die e. g. secundus Imperii annus procedere incipit, eodem Tribuniciæ quoque ad Fast. II. p. 180.

poteſtatis II. numerare aggrediatur. Mihi vero proſus eſt perſuaſum, niſi novus alicunde calculi ſubducendi modus eruatur, nunquam fore, ut quos indicavi, nodi ſolvantur. Niſi quis velit iis diſſecandis enſem Alexandri admovere, & corruptas pronuntiare inſcriptiones has, aliasve quamplures, quæ vulgari computo non minus acriter adverſantur. Ex acutioribus temporum Doctoribus, video tentaſſe aliquos, an Kalendis forte Januariis Imperatores poteſtatem tribuniciam iteraverint, ut cum novo anno Juliano nova poteſtas Tribunicia inchoaretur? Sed adverſus hanc conjecturam, attentiori nummorum & inſcriptionum aliarum comparatione deprehendiſſe mihi certo videor, veriſſimum eſſe quod *Onuphrius* aſſeruit, *fere ſemper uſuveniſſe, ut unum annum Julianum duo Tribuniciæ poteſtatis anni participarent, & è contra unus tribuniciæ poteſtatis annus duos Julianos attingeret.* Quî enim alias fieri potuiſſet, ut duorum annorum diverſi Conſulatus in unum Tribuniciæ poteſtatis annum congruerent; & viciſſim duos Tribuniciæ poteſtatis annos, idem, unius anni, conſulatus amplecteretur? quod fieri utique ſciunt, qui in priſcis monumentis non ſunt prorſus hoſpites. In eo vero lapſum puto Virum alias diligentiſſimum, cæterisque errandi viam præiviſſe, dum non iis quibus debebat limitibus, numerum Tribuniciæ poteſtatis in partes anni Juliani deſcripſit. Verba quibus ſententiam ſuam declarat, ſunt iſta: *Illud animadvertendum, quemque tribuniciæ poteſtatis annum duorum annorum Julianorum partem occupaſſe, quo animadverſo pleræque contradictiones tolluntur. quapropter & ego per ſingulos annos Julianos, duos Tribuniciæ poteſtatis annos conſtitui, eum videlicet qui eſt à Cal. Januariis ad diem acceptæ poteſtatis, & eum qui ab eo die ad finem anni Juliani producebatur.*

Bene,

Vid. Dionyſ Petav. Doctrin. Temp. lib. XI. cap. 36. Add. Henr. Noris diſſ. de Num. Diocl. & Licin. p. 66.

ad Faſt. lib. 2. p. 180

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [174] - 12
PUBLIC DOMAIN

XV. Bene, meo judicio, quod iterum dico, initium numerandæ periodi Tribuniciæ, deducit â die acceptæ poteſtatis : ſed ejusdem renovandæ iterandæque principium, non videtur eo quo oportebat tempore definitum. Ac niſi me omnia fallunt, ſeduxit â recta via Panvinium, cæterosque quos ego vidi Chronologos Faſtorumque & Annalium ſcriptores, teſtimonium, quo hac in re unice nituntur, *Dionis* non recte expenſum. Verba *Dionis* huc facientia ita convertit *Panvinius* : Ex Tribunicia poteſtate *numerabant Imperatores annos Imperij, quaſi eam ſingulis annis tanquam perpetui tribuni caperent.* Vel hic locus documento eſſe queat, quàm non ſit alienis oculis ingeniove in alterius præſertim linguæ Scriptoribus fidendum. Græca enim quã diverſe ſonant? retulimus antea; ſed repetiiſſe non erit ſupervacuum. Εἰ δὲ οὗτος καὶ ἡ ἐξαρίθμησις τῶν ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτῶν, ὡς καὶ κατ' ἔτος αὐτὴν μὴ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων λαμβανόντων, προβαίνει. Condonetur perſpicuitati elegantiæ: nec vero aliud quiſquam dicit *Dio*, quam: *Per illam* (Tribuniciam Poteſtatem) *procedit etiam computatio annorum Imperij eorum* (Imperatorum:) *utpote qui eam quotannis cum quibusq; Tribunis plebis ſuſcipiunt.* μὴ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων, ad verbum latine reddi non poteſt: perinde ut illud tritum Thucydidis: καὶ τὰς ἀεὶ πληρουμένας ναῦς ἐξέπεμπον πρὸς τὰς ἑναν- B. P. lib. 3. liss. â ſenſu recedit longiſſime, *tanquam perpetui Tribuni.* Melius vulgatæ *Dionis* verſiones *cum Tribunis plebis ejus anni* : vel ſimplicius : *cum Tribunis plebis.* poſſes magis ſignificanter: *cum iis, qui ſubinde Tribuni plebis fiunt.* Unde quidem veluti de plano prodibit, ut renovandæ periodi Tribuniciæ terminum non in die natali acceptæ poteſtatis aut imperii, ſed in eo tempore conſtituere oporteat, quo Tribuni plebis ordinarii magiſtratum inibant. quod nemo ignorat in principium Decembris

congruisse, non antiquissimis tantum moribus Pop. Rom. & circa ipsam tribunatus originem ; sed adhuc
lib.6.p.410 sub Cæsarum Monarchia. De sua ætate testatur *Dionysius Halicarnassensis*: enumeratis enim qui primi Tribuni creati sunt, subjicit: Ἔτει δημαρχικὴν ἐξουσίαν πρῶτοι παρέλαβον οἱ πέντε ἄνδρες, ἡμέρᾳ τετάρτῃ πρὸ τριῶν εἰδῶν δεκεμβρίων, ὥσπερ ἔμεχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γίνεται. Pro *quarto Idus decembres* ipsis *Nonis Decembribus initum hunc magistratum* videtur
de Com. Rom. II,6 in Verr. Act. I. c.10. innuere *Cicero*. si genuina est, ut *Gruchio* videbatur, & incorrupta *Asconij Pediani* lectio. de quo non simplex ambigendi causa superest. Sed quod discrepat, adeo est exiguum, ut absque jactura veritatis, in medio possit relinqui. Sive enim decembris die X. cum *Dionysio*, sive V. cum *Cicerone* initum Tribunatum admittamus, sique assentiamur *Dioni*, Principes Romanos singulis annis cum Tribunis Ordinariis Tribuniciam potestatem suscepisse; mirandum non erit, si aliquando in Consulatus diversorum annorum, unus Tribuniciæ potestatis numerus porrigatur. quod etiam in Tribunatu ordinario peculiaris annotationis Veteribus subinde occasionem
ad p. 142. præbuit. Videantur quæ ad *Asconium Pedianum* erudite consignavit *Carolus Sigonius*: addaturque *Livij* præser-
XXXIX,52. tim contra *Valerium Antiatem* de obitu Scipionis nobilis disputatio. Ubi inter cætera: *Hic Nævius, scribit, in magistratuum libris est Tribunus Plebis, P. Claudio, L. Porcio Coss. sed iniit Tribunatum Appio Claudio, M. Sempronio Coss. ante diem quartum Idus decembres. inde tres menses ad Idus Martias sunt; quibus P. Claudius L. Porcius Consulatum inierunt.*

De ratione igitur computandi annos Cæsarum jux- XVI.
ta numeros Tribuniciæ Potestatis, ita forte sentiendum fuerit. quo quisque tempore Imperator Tribuniciam potestatem acceperit, ab eo primam periodum Tribuniciam

ciam numeratam fuisse, ad tempus, quo Tribuni ordinarii magistratum inibant : ab eo autem tempore TR. POT. II. computari solitam, ad Nonas, vel IV. Id. Decembr. anni Juliani sequentis, â quo principio TR. POT. III. cœpit procedere.

XVII. Exempla quæ superius produximus mutuabuntur ab hac observatione lumen, & id illi vicissim reddent, veluti fœnore. *Nerva* Imperium auspicatus est, juxta *Petavij* calculum die Septembris XIIX. An Christi XCVI. obiit Januarii die XXVII. Anni Christi XCIIX. Prima itaque Tribunicia periodus finita est die V. vel X. Decembris A. C. 96. inde processit secunda ad d. V. vel X. Decembr. A. C. 97. â quo tempore ad diem XXVII. Januarii 98. qui cusi sunt nummi quæve inscriptiones publicatæ, eæ utique TR. POT. III. fuerunt signandæ. *Severus*, ex computo ejusdem, cœpit imperare circa Calendas Junii An. Chr. CXCIII. desiit Februarii die IV. An. Chr. CCXI. primam igitur Tribuniciæ Potestatis periodum concluſit dies V. vel X. Decembr. An. Chr. 193. inde numerata est TRIB. POT. II. quo fiet itidem, ut iis quæ gesta sunt â die V. vel X. Decembr. Anni Chr. 210. ad diem Severi emortualem, sc. IV. Febr. A. C. 211. non potuerit nisi TR. POT. XIX. præscribi. Nec tamen excedit modus temporis, quem Severi imperio diximus præfiniri â *Dione*. Quo minus induci debuit *Cardinalis Baronius* in examinandis *Galli & Volusiani* annis, ut ex nummorum inscriptionibus, inquibus legitur TR. POT. IIII. contra veterum omnium authoritatem, assereret, illos non biennio vel paulo amplius regnasse, sed ad quatuor annos Imperium propagasse. Successerunt illi Deciis Mense Novembri An. Chr. CLI. adeoque anni ejusdem Decembri inchoarunt TR. POT. II. ut etiam si An. Chr. 153. excunte, vel ineunte A. C. 154. extinctos, adeoque duos duntaxat

Doctr. Temp. XI, 21.

Annal. Eccl. ad A. C. 257. n. 35. & 36.

duntaxat annos cum paucis menſibus regnando expleviſſe ſtatuamus, attigiſſe tamen TR. POT. IIII. ſit admittendum. Et ſudavit tamen *Baronius*, ut *aperiret, unde irrepſerit error, ut quod certum ſit annos quatuor eosdem imperaſſe, non niſi biennium eorum imperio tribuatur*. Sed niſi *Dionis*, quam hactenus tueri conamur, interpretatio, rationibus idoneis convellatur, non erit aperire arduum, in quam multos errores neglectus ejus, *Baronij* & aliorum computationem præcipitaverit. Sed id non eſt hujus loci: quo diffuſioris diſputationis non ambitum explere, ſed occaſionem ſuppeditare animus fuit.

Verbo tamen, antequam finiamus, liberanda eſt fides XIIX.
c. 12. *Suetonij*: cum Veſpaſianum ſcribit *Tribuniciam poteſtatem & Patris Patriæ appellationem non niſi ſero recepiſſe*. Nonne enim, inquiunt, reclamant nummi & marmora antiqua, in quibus totidē TR. POT. numeri occurrunt, quot anni imperii numerantur? Sed pone Veſpaſianum obiiſſe VIII. Kal. Jul. Anni æræ Chriſtianæ LXXIX poſtquam imperaſſet annos decem, diebus ſex minus: â Calendis nempe Julii An. Chr. LXIX. cum in nummis & lapidibus non occurrat ultra TR. POT. X. potuit eam anno & amplius diſtuliſſe, ut tamen calculus congruat: quod comparatione cæterorum Principum, qui ſtatim hæc nomina ſolebant invadere, erat plane *ſero recipere*.

Petav. Doctr. Temp. lib. 13. p. 676.

De nummo M. Aurelii Cæſaris, in cujus adverſa par- XIX.
te Roma ſedens galeata cum adſcripta gemina Tribunicia poteſtate nempe TR. POT. VII. TR. POT. VIII. vel ob id malim judicium ſuſpendere, quia hucuſque nullum niſi unici exempli ectypum inſpicere datum eſt, quem *Doctiſſimus Spanhemius* publicavit. Eſt autem in hac etiam arte, ſola fere è tenebris emergendi via, quam repertum vetuſtorum inter ſe monumentorum comparatione lumen, ad veritatem commonſtrat.

de præſ. & uſ. numiſm. diſſ. VIII. p. 792.

C. B. D.

De

EXPEDITIONE ROMANA.

I.

EXpeditionis Romanæ uſus quidem hodie non niſi ſubſidiarius eſt, nomen tamen æque ac olim frequens. Quod ab origine ſua per ſolitas ambages derivare nihil attinet. Fontem indicat Nonius I, 285. Expediti & impediti, *ex una proprietate habent vocabuli cauſſam, aut ex ſolutis pedibus aut illigatis.* Hinc expediri ad bellum, apud Tacit. 2. H. 99, 1. & ἐλλιπτικῶς expedire eodem ſignificatu, 1. H. 10, 3. Add. 1. H. 88, 2.

II. *Expeditionem* ſanè de *militaris profectionis paratu* dici, uſu tritiſſimum eſt. Gloſſ. lat. Græc. Expeditio, ἀποδημία ὅτι στρατείας. ἢ εἰς πόλεμον ἔξοδος. ἔξοδ& ἐκδημητικὴ στρατιωτῶν. Inde ἐξπέδιτον & ἐξπαδίτον recentiorum Græcorum, de quo *Suidas* in ἐξπέδιτα *Meurſius* Gloſſ. Græc. Barb. cad. voc. Germani veteres ſignanter expreſſerunt per *Herefare* vel Herivart in Gloſſar. Latino Theodiſco quo *Lindenbrogius* uſus eſt. In monumentis ſequioris ævi ſæpè legitur epithetis adjectis

exercitalis expeditio, itemque hostilis expeditio: estque in illis *regalem expeditionem Imperatori administrare*, nihil aliud, quàm *Imperatori in Expeditione debitum obsequium & servitium præstare.* Quo etiam fit, ut *expeditio* & *servitium pro expeditione* interdum ἀσυνδέτως jungantur: ut in *Charta Ludovici VIII. anno* 1223. *cùm nos ex spirituali dominio expeditionem & servitium pro expeditione ad submonitionem nostram haberemus super villam &c.* apud *Carolum du Fresne in Glossario ad scriptores mediæ & infimæ Latinitatis*, opere laboriosissimo juxta, si quod aliud, & fructuosissimo.

III. Atque hinc jam intelligi ultrò potest, unde venerit, ut *profectio Imperatoris, ad suscipiendam solenni ritu consecrationeque coronam, militari apparatu ac pompâ Romam instituta*, EXPEDITIO ROMANA diceretur: ad quem fere modum definiri queat è *constitutione Friderici Barbarossæ*, quæ exstat 2. *Feud.* 54. & apud *Radevicum de Gest. Frider. lib.* 2. *cap.* 7. Potest & descriptionis loco esse Othonis Frisingensis periphrasis de *Reb. Gest. Frider. I. lib.* 2. *c.* 12. *quotiescunque ad sumendam Romani Imperii coronam militem ad transalpizandum coëgerint Reges Teutonici* itemque *Gunteri in Ligurino lib.* 2. *vers.* 40. *&* 41. *quotiens claram regnator tendit ad Vrbem Teutonus, Ausoniam sumpturus rite coronam.* Superbum verò illud elogium, cum *Lotharius* & *Fridericus* Imperatores in *Constitutionibus* suis 2. *Feud.* 52. *&* 55. *Felicissimam numinis nostri expeditionem* nominant, non nisi generaliter huc pertinere, cæterasque expeditiones Imperatorias pro utilitate Imperii susceptas etiam complecti puto, quæ ultra tractationis hujus institutum porriguntur. In *Germanicis Constitutionibus* dicitur Rom-

Zug/

Zug / Römer-Zug / & describitur im Sächsischen Lehen-Recht / *cap.* 4. Wann die Teutschen einen König kiesen / und er dann gen Rom zeucht zu der Weyhung / &c.

IV. Originem obscurè assignant, qui à Caroli Magni successoribus repetendam docent: *Otto de Jur. Publ. cap.* 10. *pag.* 296. Obscurius tamen illi, qui mentione & authoritate *Juris Feudalis Saxonici* rem expedire conantur: *Carpzovius de Lege Regia cap.* 8. *sect.* 6. *num.* 3. Majorem speciem habet quod *decreto Ordinum Imperii statutum* scribit *Lehmannus in Chron. Spirens. lib.* 2. *c.* 42. *postquam à Carolo Magno mos introductus esset è manu Romani Pontificis Coronam Imperialem suscipiendi; ut decenti Vasallorum suorum comitatu primarii Imperii Principes Romam usque deducerent Regem, indeque domum revertentem comitarentur.* Sed tempus, locum, authoritatem denique hujus decreti curiosius requirenti, satisfacere non adeò pronum fuerit. Et fortasse non aliud in oculis habuit *Lehmannus*, quàm quod auspiciis Caroli Crassi in Comitiis Wormatiensibus A. C. DCCCXC. publicatum mox scribit. Id enim innuere videtur quod in eo sancitum scribit, *ut Principum quisque Mareschallum, Dapiferum, Pincernam, & Camerarium secum in eam expeditionem duceret.* quod vix aliunde quàm ex Wormatiensi, quæ fertur, Constitutione potuit haurire. Fuit illa sanè *Limnæo J. P.* II, 4, 107. & plerisque aliis pro fundo, tùm in describenda expeditionis Romanæ forma, tum in origine ejusdem assignanda.

V. Verum authentia hujus sanctionis pridem in dubium vocata est. Inprimis à *B. Bæclero* nostro in *Vit. Caroli III. pag.* 187. & rationibus additis in *Notitia*

Farbkarte #13
Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [181] - 3
PUBLIC DOMAIN

Imperij lib.15. cap.2. n.4. itemque à *Conringio* in *privatis ad Lampadium discursibus part.3. cap.2. §.28.* hisce verbis: *Olim ipsi Principes universi Imperij cum delecta militum manu cogebantur Imperatorem coronandum in Italiam comitari sub pœna amittendi feudi Imperialis. Qui mos videtur sane saltem ab Ottonis M. temporibus fuisse in usu. Nec enim temerè quis admiserit illud quod nomine Caroli Crassi curante Rittershusio editum est diploma: etsi non dubitaverit Marquardus Freherus insigni illud Commentario illustrare.* Post hos agnovit etiam *Ericus Mauritius in dissertat. de Matricula Imperij th.24. Esse in Constitutione illa tum verba quædam, quæ suspectam illam reddere possint, tum etiam annorum, qui adscripti sunt, numeros non congruere ætati Caroli Crassi.*

VI. Quod de tempore annotat Mauritius; id jam *Conradum Rittershusium*, primum hujus monumenti editorem moverat, ut Karolo M. id auctori vendicaret; *in Append. ad Not. in Gunther. p.203.* subscriptum enim habuit exemplar quod Rittershusio primum, & posteà Frehero Marcus Welserus communicavit, annum DCCXC. quo Magnus vixit, & Wormatiæ Comitia celebravit: ut ex *Annalibus Pithœanis* colligit *Freherus in Not. ad Const. Car. pag.12. & 29.* quod autem in Cæss. Bœclerianis inde suspecta redditur hæc sanctio, quia in ejus clausula nominetur annus, quo jam mortuus erat Carolus Crassus, id ad æram diplomatis, uti à *Goldasto* editum est, *tom.1. Constitut. p.207. & 208.* referri debet: ea enim, nescio an per errorem Librarii, an quod aliunde Goldastus de hoc annorum numero monitus fuerit, exhibet A. C. DCCCXC. quo Carolus utique in vivis non fuit: utpote qui excesserat jam A. C. DCCCLXXXVIII.

VIII.

VIII. Putavit quidem Freherus lapsu descriptoris hunc calculi errorem excusari posse; rescribendumque DCCCXXCI. vel sequentem annum. Secutusque est in hac emendatione *Freherum*, *Goldastus not. margin. ad d. Const. Goldastum*, *Limnæus loc. cit.* At *Carolus Fresneus Glossar. Tom. II. voc. Feudum*, annum DCCCXXCIV. substituit: quo nescio an quidquam expeditius reperiri potuerit, ad subvertendam hujus constitutionis authoritatem. Siquidem constat A. C. DCCCXXCI. Romam profectum esse Carolum, ibidemque à Joanne VIII. anno eodem A. d. VIII. Kal. Jan. corona Imperiali redimitum. Regino diserte *Chron. lib. 2. anno Dominicæ incarnationis* DCCCXXCI. *Carolus de Alemania egressus, Longobardorum fines occupavit, ac in paucis diebus totam Italiam in deditionem accepit, & Romam perveniens, à Præsule Apostolicæ sedis Joanne, & senatu Romanorum favorabiliter exceptus, cum magna gloria Imperator creatus est.* Addatur *Aimoinus lib. 5. cap. 60.* itemque diplomata Caroli Crassi, tum quod Freherus in fine notarum suarum producit, tum quod *Baronius Annal. Eccles. tom. 10. A. C. 881.* exhibet, quorum utrumque annum Imperii Caroli quartum conjungit cum A. C. 884. Jam verò Wormatiensem constitutionem ita conceptam esse, ut coronationem Romanam antecessisse videri author ejus voluerit, præter introitum §. 1. comprehensum, satis perspicuè testantur verba §. 2. *quando pro* CORONA NOSTRA, *vel aliqua regni utilitate aut honore, Romana expeditio à nobis vel à successoribus nostris præparetur.* Comitia certè Wormatiensia, quibus lata fertur hæc Constitutio, quam non debuerit *Freherus* cum illis comitiis permiscere, in quibus referente *Aventino lib. 4. p. 351.* Boso regii nominis per Burgundiam

diam usurpator se dedidit; vel inde patet, quod illa, habita author constitutionis testatur, cum *pro consecratione coronæque perceptione proficiscendi tempus ad Apostolicam sedem instaret*; hæc verò ne prima quidem, sed altera demum Comitia fuerunt, quæ Carolus Wormatiæ, post Coronationem Romanam egit. Priorum hæc apud *Aventinum* mentio extat: *Cæsar crebris nuntiis Germanorum Gallorumque rogatus, ex Italia movet - - & Calendis Maji ad conventus in urbe Vangionum agendos proficiscitur: Certatim Proceres, Episcopi, sacrorum Antistites, cives advolant, in verba Imperatoris jurant, & de exigendis hostibus consultant.* Neque verò ante coronationem ullius conventus à Carolo in Germania instituti superest memoria.

VIII. Quin si *Aventinum* audimus, facile omnis istorum Comitiorum, ipsiusque decreti hujus fides collabetur: memorat enim, *Carolum quam primum Italiam à fratre Carolomanno accepisset, de IMPROVISO Italiam invasisse. Et ut major authoritas foret; archimystam primarium Germaniæ Luitbertum Moguntinum, IVSSV LVDOVICI, & Theodomarum Juvavensem Archi-Episcopum Bojorum, MANDATO CAROLOMANNI & CAROLI profectos.* Qua legatione, quàm nihil opus fuerit, si Decretum Welserianum in mundo tum fuisset, apertum est. Adde quod idem Aventinus Carolum vivo patre Ludovico Germanico, ante coronationem, non aliter, quam *Regem Suevorum* appellet: neque apparet quomodo illo jam tempore potuerit REGIS FRANCORUM & ROMANORUM titulum usurpare.

IX.

IX. Accedunt huc alia, quæ mihi prorsus persuadent ut censeam, non inscriptionem minus, quàm subsignationem hujus Diplomatis corruptam & supposititiam esse. Ipsi constitutioni detrahere quidem antiquitatis opinionem non ausim: quo minus tamen illorum partibus accedam, qui Carolo Crasso authori tribuunt, eo maximè impedior, 1. quod *annus Wormatiæ cum quàm multis Principibus transactus*; illi tempori, *quo pro ejus consecratione coronæque perceptione, proficiscendi tempus ad Apostolicam sedem instabat*, nullo prorsus modo congruit. 2. *Induciæ anni & sex hebdomadum* recentioris sunt instituti, neque sub Carolingis observati vel recepti. 3. Non existimo Carolino ævo errari potuisse in Runcaliarum vocabulo; quo satis constabat, ut Chartæ & Diplomata ejus ætatis docent, *Roncalias & Runcalias* denotare *campos incultos vepribusque ac sentibus obsitos:* qualis planè fuit, qui circa Placentiam, congregando regio comitatui curiæque habendæ destinatus est. Temporibus Conradi II. apud Germanos nostros viguisse hanc etymologiam ut *Rungalle* dictus putaretur locus ille, quasi *Curia Gallorum*, discas ex *Glabro Radulpho*, qui in præfatione ad librum IV. hunc errorem coarguit. *Indeptus*, inquit ille, *regni insula Conradus Italiam perrexit, cui protinus in descensu Alpium quem CVRIAM GALLORVM, licet corrupte, vocant, in oppido Cumis occurrit cum summo apparatu Papa Romanus.* 4. De *Feodi* vocabulo nota est ipsius Welseri dubitatio, ex epistola MSC. cujus excerpta exhibet *Notitia Imperii Bœcleriana loc. cit.* quanquam circa tempora Caroli Crassi, nempe Carolo Simplice, Rodulpho, Lothario regnantibus auditum, feratur adstruxisse

xisse *Dominicus de prærogativa Allodiorum cap.*15. §.1. Sed opus istud inspicere nondum contigit. quas verò de cætero tabulas nominat *Freſneus in Gloſſ.* eas ipsemet sublestæ fidei damnat. 5. Privatio beneficii ævo Carolino expeditionis omissæ nondum pœna fuit; sed *Heribanni* solutio. 6. Neque *brunia* in decem, sed in duodecim mansos computabatur &c.

X. Cæterum, ut meam quoque *de Origine Romanæ Expeditionis* sententiam aperiam, existimo illam ab initio communi planè cum cæteris expeditionibus bellicis jure ac more censeri consuevisse. Et si quis sanè omnium Francicorum Imperatorum expeditiones percenseat, facile reperiet, eos tam numeroso comitatu in Italiam profectos non tam pompæ ac celebritatis caussâ, ut *Lehmanno* & plerisque aliis visum est; quam ut oppositam coronationi potentium utplurimum hostium vim idoneis præsidiis cohiberent ac retunderent. De Carolo M. dicendum non arbitror; cui ne animus quidem fuit, *Eginhardo* testante, vel petendæ vel accipiendæ coronæ Imperatoriæ cum in Italiam moveret. Uti nec de Ludovico Pio & Ludovico III. quorum uterque in Francia coronatus est. Lotharium verò Paschalis Pontifex coronavit, cum in Italiam missus esset à Patre, juris dicundi caussâ, jamque se ad revertendum præpararet. Et dati fuerant illi itineris socii, qui non adeo comitatum ejus, splendore, quam ipsum consilio instruerent. *Annales Carol. M. & Ludov. Pii*, qui *Eginhardo* tribuuntur, ap. *Andr. du Chesne Scriptor. Francic. Tom. II.* A. C. 822. *Peracto conventu qui Attiniaci habebatur Imperator Lotharium filium suum in Italiam misit; cum quo Walachum Monachum propinquum suum, fratrem videlicet Adelhardi Abbatis, & Gerungum*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [186] - 8
PUBLIC DOMAIN

gum Ostiariorum magistrum unâ misit: quorum consilio & in re familiari & in negotiis ad Regni commoda pertinentibus uteretur. & in *A.* 823. *Lotharius verò cum secundum Patris jussionem in Italia justitias faceret, & jam se ad revertendum de Italia præpararet, rogante Paschale Papa Romam venit: & honorificè ab illo susceptus, in sancto Paschali die apud Sanctum Petrum Regni coronam & Imperatoris & Augusti nomen accepit.* In cæteris planum jam est atque manifestum, quod dixi. Nisi quod solus inter eos Ludovicus II. solennitati amplius quam timori dedisse dicendus est. De cujus itinere Italico videatur *Sigonius de Regn. Ital. lib. 5. p.* 119.

XI. Uti autem non dubitaverim plerasque cerimonias, quibus *Expeditio Romana* posteà à cæteris *Expeditionibus* distincta est, sub aliquo Francicorum Imperatorum in exemplum iviſſe: Sic agnoscendus est historiæ defectus; quæ nullam pleniorem istiusmodi celebritatis descriptionem ex illo ævo ad nos transmisit. Atque hoc idem etiam intelligendum est de sequentium Imperatorum expeditionibus. Neque sanè ante Fridericum I. certa juris formula prodita est, de qua indubitato constet. Nam de *Capitulis Corradi*, ut vocantur, notæ sunt eruditorum concertationes. Ut fortasse non sit erraturus, qui Fridericum, juris scripti circa *Expeditionem Romanam*, primum authorem asseruerit; cum anteà consuetudinis duntaxat & exemplorum authoritate tota hæc res niteretur.

XII. Friderici Constitutio extat 2 *Feudor.* 54. *Firmiter statuimus tàm in Italia, quàm in Alemania, ut quicunque indicta publica expeditione Romam, ad suscipiendam Imperij coronam, Regem, aut sub Rege dominum*

ſuum non adjuvaverit, aut eundo cum ipſo, aut pro quantitate feudi ſtipendia militiæ perſolvendo (ſi de vocatione legitima à domino ſuo convinci per compares ſuos poterit) feudum perdat, & dominus in ſuos uſus illud habeat redigendi liberam facultatem. Fiebat autem *Indictio Expeditionis*, cujus in hac ſanctione mentio extat, tùm in Comitiis ac Conventibus Statuum univerſalibus; quemadmodum Henrici VII. expeditionem in Comitiis Spirenſibus denuntiatam Statibus fuiſſe, teſtatur *Lehmannus Chron. Spirenſ. lib. 7. cap. 11.* tùm ſcriptis ab Imperatore ad ſingulos Status literis; quibus tempus ac locus, quo comparere quisque deberet, deſignabatur. *Gerardus de Roo Hiſt. Auſtr. lib. 5. pag. 202.* de Expeditione Friderici III. ita refert: *Annus agebatur quinquageſimus primus, cum Fridericus certus eundi* (Romam,) *literas ac nuncios ad Ordines Imperij miſit, quibus, quo tempore Italiam ingreſſurus ſit, ſignificat, atque uti omnes, qui eum de more comitaturi ſint, ad diem dictam conveniant, jubet. Rhenanis ac Suevis, Eslinga & Campidunum civitates conſtitutæ, unde per Athèſinam vallem, ac Tridentinum agrum in Italiam tranſirent; Auſtriaci, Bohemi ac Hungari Villacum evocati; reliqui, qua cuique proximum erat, Ferrariam atque inde Florentiam Senasque ire juſſi, atque illic Cæſarem præſtolari.* Inter eos, quos Ferrariæ Cæſarem præſtolari juſſos eſſe, *Gerardus* ſcribit, etiam Argentoratenſes fuere; aſſignatusque illis eſt dies Catharinæ ſacer anni 1451. uti *literæ Imperatoris ad Civitatem* teſtantur. De Trevirenſi Republica narrat *Brouverus Annal. Trevir. lib. 19. pag. 287. Fridericus hinc, quod adhuc non poterat, coronæ ſumendæ, Italiam cogitans, Trevirenſem Rempubl. ad ſe ornan-*

ornandum obsequio, & comitatu prosequendum, literis hoc anno (1451.) *exeunte missis invitavit.* Add. *Speculum Honoris Austriac. lib. 5. c. 7.*

XIII. Et fuit quidem, ut verba constitutionis docent, tota *Expeditio Romana* ordinata & descripta per Vasalios, sive per eos, qui feuda ab Imperatore & Imperio vel immediatè vel mediatè haberent. Ita tamen ut Civitates pari cum his jure & honore censerentur. Et quoniam non nisi vocati adesse cogebantur; poterantque ministerium personale stipendio numerato redimere; factum esse puto ut comitantium numerus, pro temporum diversitate, discreparet: utpote qui legali sanctione nondum erat determinatus. Comitatum Henrici Lüzelburgici ita describit *Albertus Argentinensis in Chron. Ingressi sunt cum eo Lupoldus Austriæ, Rudolphus Bavariæ Duces, Archi-Episcopus Trevirensis, Leodiensis, Basiliensis, & plures alij Episcopi, Comes Sabaudiæ, Comes Flandriæ, multique alij Comites, & omnium totius Alemanniæ stipendiarij civitatum.* Notatque *Lehmannus loc. cit.* Spirensem Civitatem duos Equites & octo Nobiles cum servis suis Imperatori ad expeditionem illam misisse. Sanè Argentoratensis Respublica Ruperti Regis expeditionem ornavit missis viginti equitibus (20. mit Gleuen) ita ut singuli horum, tres præterea comites stipendio Reip. conductos, haberent. In expeditionem verò Friderici III. armavit 16. mit Gleuen/ jeglichen Gleuener mit 4. Pferdten: ita ut quilibet eorum haberet redlichen Harnisch/ 2. Knecht/ einen mit einem Armbrust/ einen mit einem Spieß/ und einen Knaben mit einer Gleuen. Inter vetustiora exempla memoratur Vla-

 dislaus

dislaus Rex Bohemiæ Imp. Henricum IV. cum trecentis equitibus cataphractis comitatus esse. ap. *Bonfin. Rer. Hungar. decad. 2. lib. 5.* Sic & Sobieslaus scribitur Lothario Saxoni trecentos equites armatos misisse. *Dubrav. Histor. Bohem. lib. 2.*

XIV. Recognoscebantur autem & probabantur quodammodo Vasallorum servitia isthæc in campis Roncalienſibus, eo ritu severitateque, quam describit præcipuè *Otto Frisingensis de Reb. Frideric. I. lib. 2. cap. 12. Est consuetudinis*, inquit ille, *regum Francorum, quæ & Teutonicorum, ut quotiescunque ad sumendam Romani Imperij coronam, militem ad transalpizandum coëgerint, in prædicto campo mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur, universorumque equitum agmen feuda habentium, ad excubias proxima nocte Principi faciendas, per curiæ præconem exposcitur: quod sectantes, qui in ejus comitatu fuerunt, singuli singulos beneficiatos suos per præcones exposcunt. At sequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuisse deprensus fuerat, denuò ad præsentiam Regis, aliorumque Principum vel virorum illustrium evocatur: sicque omnes omnium beneficiati, qui sine bona voluntate dominorum suorum domi remanserunt, in feudis condemnantur.* Eadem *Guntherus Ligurin. lib. 2. vers. 36. & seqq.* carmine in hunc modum complexus est:

Est locus Italiæ, modicum sejunctus ab urbe,
Cui quia pulchra situ placet, inde Placentia nomen,
Planus & Eridani placido junctissimus amni,
Effundit latos spatioso limite campos.
Hic quoties claram Regnator tendit ad urbem,
Teutonus Ausoniam sumpturus ritè coronam,

Ponere

Ponere caſtra ſolet: ligno ſuſpenditur alte
Erecto clypeus: tunc præco regius omnes
Convocat à dominis feudalia jura tenentes.
Excubias Regi prima celebrare fideles
Nocte, vetuſtorum debent ex more parentum.
At quicunque domi domino nolente relictus,
Defuerit, feudo privari curia cenſet.

Subjiciuntur apud utrumque exempla, Hartvici Bremenſis, & Vlrici Halberſtatenſis Epiſcoporum: ſiquidem

Tunc quoque nonnulli cenſura vindice regni
Amiſere diu tali poſſeſſa reatu.
Quin & Pontifices Halberſtadenſis, & ille,
Sub quo Brema fuit, tali regalia jura
Amiſere nota: perſonæ ſcilicet ipſæ,
Non tamen Eccleſiæ: neque enim quod paſtor inique
Geſſerit, Eccleſiæ fas eſt in damna refundi.

Sed & ſimile conſtitutionis citatæ argumentum alibi exhibet tùm *Guntherus Ligur. lib. 8. verſ. 608. & ſeqq.* tùm *Radevicus de Geſt. Frid. lib. 2. cap. 7.* quanquam iſta quidem loca ad alteram *Friderici conſtitutionem* quæ extat 2. *F.* 55. propriè pertinent; adeoque ad jus *Hoſtenditiarum* univerſum ſunt referenda: de quibus *Interpretes Juris Feudalis ad 2. F. 40.* Iidem conſulendi de *Fodro*: quod itidem generaliter huc pertinet. De quo videatur inſuper *Vita Ludovici Pÿ ab Aſtronomo quodam ejus ætatis deſcripta, ad A. C. 796.*

XV. Inter *ritus & cerimonias Expeditionis Romanæ*, peculiarem obſervationem meretur honor & veneratio, qua Imperatorem advenientem Pontifex præcipuè Romanus excipere, antiquioribus illis & melioribus

temporibus, solebat. Sed quæ invalescente Pontificis potentia, veluti per gradus quosdam decrevit atque imminuta est. Dignus planè est qui adscribatur *Cuspiniani* locus *ex Cæss. pag.* 406. ubi de Friderico III. scribit: *Huic omnis effusa obviam nobilitas, Columnensium, Vrsinorum, totiusque cleri sacer Apostolicus Senatus: maxima ab his est susceptus honorificentia, quæ paucis Cæsaribus diu ante exhibita fuit, postquam scilicet Cæsarea Majestas minui cœpit, atque attenuata vilescere. Quandoquidem priscis seculis, non Cardinales modo, verum summos Pontifices obviam processisse Cæsaribus legimus. Vsque Sutrium Pontifex Romanus Friderico I obviam venit. Sed ubi Apostolicæ sedis indies potestas auctior facta est, minor Cæsaribus exhibitus est honor, ut vicissitudo omnium rerum exigit.* Descripsit ista *Cuspinianus* ex *Æneæ Silvij Historia.* Qui de juramento quoque à Cæsare exacto antequam B. Petri patrimonium intraret, nobilem digressionem habet. *Id juramentum*, inquit, *quod in Clementinarum libris insertum est, ego nullum unquam Cæsarum exhibuisse comperi, nisi fortasse Carolum IV. & Sigismundum ejus filium. Henricus quidem septimus fidelitatem sese jurasse negavit: cujus causâ editam Clementinam dicunt. Minimè verò Ludovicus Bavarus eo jurando se adstrinxit, qui recusante Papa Romano ex urbis præfecto coronam accepit. Priores ante Karolum Magnum Imperatores, non accepimus jurare solitos. Post Karolum, quid Ludovicus Primus, quidve jurarint Ottones, decreta Pontificum manifestant.* Ex *Eodem* etiam discas rationem, quare Cæsares coronandi non consueverint una die & applicare, & intrare urbem; sed noctem saltem unam in castris atque tentoriis habere. Factum id nempe arbitratur

tratur *Æneas*, ut ea dies cederet Papæ, ad providendum ne quid ingrediente Cæsare tumultus fieret. Subjicit tamen: *Sive id spatium sibi Cæsares ipsi assumpserunt, ut explorato urbis statu tutius ingrederentur: seu bis terque aliqua vel caussâ vel casu res gesta vim consuetudinis accepit.*

XVI. Sequitur ingressus Cæsaris in Urbem prolixa descriptione traditus. quam in summam contraxit *Gerardus de Roo Histor. Austr. lib. 5. p. 204.* qui & *inter alia præceptum*, memorat, *ne præter Imperij aquilam ullum aliud signum explicaretur: Eamque rem multos ægre tulisse, imprimis verò Georgiani Collegij signiferum, Henricum Comitem Fürstembergicum, indignum esse dixisse, & præter Collegij institutum, malle se ab ipsis urbis mœnibus domum reuerti, quàm occultato vexillo intromitti. Argentoratenses quoque jecisse, non prohibitos fuisse majores suos explicare vexillum, quo tempore cum Rudolpho in Boëmos militassent. Sed Cæsarem has eorum voces suâ authoritate facile compescuisse.* Et poterant sanè Argentinenses non illo tantum Rudolphi exemplo niti: sed jam inde ab eo tempore, quo se Imperio adjunxerunt, juris istius compotes fuerunt; sicut excerpta Privilegiorum in *Discursu Fridiano MSC.* prolixius exposita, apud *Limnæum* verò *I. P. VII, 3, 13.* summatim recensita testantur.

XVII. Et ordinem quidem quod attinet ingredientium in urbem, discimus ex eodem loco *Gerardi de Roo.* Primos omnium Suevos reliquum agmen præcessisse. *Æneas* verò insuper litem de præcedentia inter Venetos & Mediolanenses, secundùm Venetos decisam exhibet. At inter Civitates, primarium locum Argen-

Argentinensibus datum, *Acta* his verbis docent: Wie die Statt Straßburg nach ihrem redlichen Herkommen an dem Hinzuziehen vor allen Stätten den Vorzug hatte / So hatte sie an dem Heraußziehen den Nachzug. Solichen Zug behielten Jr Glefener in redelicher Ordnunge mit Jrem ufgetonen Venlin (in egressu sc.) Vnd sunderen Trumpeter. Additur in iisdem, septem ex Argentinensibus, Romæ in ponte Tiberino, manu & gladio Cæsaris, Equites factos: Jerg Zorn; Heinrich von Müllenheim; Diebold von Müllenheim; Hanß Ludwig von Müllenheim; Philips von Müllenheim; Hanß Böckel; Friderich zum Rust.

XVIII. Sed hoc uti & cætera quæ ibidem acta Historici memorant, ad solennitatem ipsius *coronationis* referenda sunt: ad quem locum & reliquæ observationes disputationesque pertinent: e. g. quâ ratione quove eventu omissa sit olim à Rudolpho I. & successoribus ejus quibusdam Romana Expeditio? quo consilio inde à Ferdinando I. Imperatores nostri abstinendum coronationis Romanæ solennitate censuerint? & quomodo id cum Cæsareis Capitulationibus conciliari idoneè possit? de quibus prolixè satis actum *Limnæo Annotat. ad Capitulat. pag.* 341. *& seqq.* & expectamus plenam totius hujus argumenti expositionem à summo Viro *Hermanno Conringio*, secunda editione operis *de Imperio Germanorum Romano* prodituram.

XIX. Nam nos quidem arctior propositi nostri modus ad hodiernum *Expeditionis Romanæ usum* prævertere cogit: qui in *Contributionibus & Collectis Imperij* super-

supereſt. Atque ante duo quidem & complura ſecula uſu in Imperio noſtro cognitæ collectæ pecuniariæ ad publicas expeditiones nondum fuerunt. Ipſique adhuc Maximiliano I. in Comitiis A. 1492. à quibusdam Imperii Statibus exprobratum eſt, ſub Patris, Friderici, regimine morem iſtum demum invaluiſſe, ut munera Imperio præſtanda, pecuniâ taxarentur: Nachdem bißher von Alters im Reich herkommen/ daß die Stände alle Hülff an Volck geleiſt/ daß bey Regierung des Keyſers dieſe Neurung eingeſchleicht/ daß man die Anſchläg uf Geld geſetzt / und wann man Volck bewilligt/ daß Kayſerl. Maj. von Chur- und Fürſten / deßgleichen Graffen und Stätten an ſtatt des Volcks ein Summ Gelts empfangen/ und dergeſtalt die Hülff verkaufft/ und mit dem Geld kein Volck beſtelt/ daher die Bewilligung unnütz und unerſchießlich geweſen. uti ex Actis illorum Comitiorum refert *Lehmannus Chron. Spir. lib. 7. cap.* 121.

XX. Verùm, quemadmodum numerus proficiſcentium cum Imperatore ad Romanam Coronationem, tum temporis nondum fuit certo definitus; ſic & illa ſubſidia, quæ Cæſari ad alias expeditiones, vel militibus virisque ſubmiſſis, vel pecunia præſtabantur, pro temporis diverſitate admodum variaſſe deprehenduntur. Quod diligenti comparatione *matricularum* ſatis evidenter demonſtravit *doctiſſ. Mauritius diſſ. de Matricula th.* 25. Fitque planum inſuper ex *Actis* Comitiorum Noribergenſium Anni 1431. in quibus decretum eſt ut ad inſtantem expeditionem Bohemicam, Status Bohemiæ propiores de viris viginti, reliqui de viginti quinque, unum mitterent. itemque Comitiorum

rum Ratisbonensium Anni 1471. in quibus Statibus indicta sunt militum decem millia, eo modo ac numero ab unoquoque Statuum præstanda, quem exhibet *Lehmannus Chron. Spirens. li. 7. cap. 112. sub tit.* Hiernach stehet begriffen der Anschlag der 10000. Mann/ der auch hie uf dem Kayserl. Tag uf Georgii bestimbt/ fürgenommen/ und gemacht worden/ Anno LXXI. pecuniarium verò subsidium, non juxta certum virorum numerum, sed ad æs & libram, uti loquuntur, nach dem gemeinem Pfenning definitum est. Formulam exhibet *Goldastus* in den Reichs-Satzungen/ *pag.* 194. Add. den Anschlag wider den Türcken zu Augspurg auff dem Reichs-Tag publicirt 1474. apud *Eund. pag.* 200. Et duravit hæc contribuendi ratio (nach dem gemeinem Pfenning) etiam per Maximiliani I. imperium: sicut complures Recessus, inprimis de Anno 1495. Landfr. 1500. *Art.* 12. 1512. §. 14. & *segq.* 1518. §. 2. abundè fidem faciunt. Nisi quod interea bis terve usurpatus est & alius quidam liberior collectandi modus, quo per amicabiles tractatus (durch gütliche Tractaten/) Status singuli, absque præcisa relatione ad bona cujusque, certam pecuniæ summam Cæsari polliciti sunt. Uti factum est sub Friderico III. in Comitiis Francofurtensibus Anni 1486. Noribergensibus 1487. Sub quo & in Francofurtensi Congressu A. 1498. destinatus est ad Imperatoriæ expeditionis usum exercitus 29487. militum.

XXI. Sub Carolo V. demum, uti profectionis Italicæ finis; ita ejus computationis, quæ in collectis Imperialibus secundùm *Expeditionem Romanam* fieri hodienum solet, initium factum est. Is enim cum in

in Comitiis Wormatiensibus Anni 1521. consilium suum propositumque, quo Imperialem coronam petere, & simul Imperio avulsa vindicare destinaverat, aperuisset; obtinuit ab Ordinibus ut in illam expeditionem exercitum 20000. peditum, & 4000. equitum in sex menses pollicerentur. *Rec. Imp. A.* 1521. §. Vnd als wir / 29. *& seq.* Estque hic militum numerus, dilato isto consilio, retentus anno sequenti in Comitiis Noribergensibus, cum contra Turcas expeditio decerneretur. *R. I.* 1522. *princ.* cum aliqua tamen moderatione, *d. Rec.* §. 6. & licet ab initio quidem diserte cautum fuisset, ut auxilia isthæc militibus submissis, non autem pecunia præstarentur: subinde tamen ex stipendio, quod in *d. Rec. Wormat.* militibus assignatum fuerat, solenne, ut ita loquar, pretium conflatum est, quo militum præstatio deinceps plerumque redimeretur: nam cum equitibus in singulos menses assignati fuissent 10. floreni, peditibus 4. Pretium, quod dixi, equitum auctum est ad 12. florenos, peditum verò 4. florenorum permansit. Conf. *Oelhaf. Templ. Pac. Orat. IV.* qui tamen originem hujus rei, nescio quibus fundamentis subnixus, ab altiori principio repetit: Add. *Wehnerum Observat. Pract. voc.* Römer-Zug / ubi sequentium etiam *Recessuum* decreta annotantur. *Mauritium de Matric. th.* 26.

XXII. Querelas ex multiplicatione pensionum mensiumque Romanorum natas, exasperat juxta & diluit necessitas publica. Accedunt Matriculæ vitia: quæ si emendari contingeret, non dubitaverim, multo tolerabiliorem fore Statibus hunc contribuendi modum, quàm illum alterum nach dem gemeinen Pfenning:

ning: cui se jam tùm in Comitiis 1598. 1603. pars Ordinum opposuit: nitente pro illo, Cæsare Rudolpho II. iis rationibus, quæ videri in utramque partem possunt apud *Arum. de Comitiis cap. 8. num. 39.* & cum annotatione votorum singulorum ap. *Speidel. in Specul. voc.* Gemein Pfenning. Dum verò emendatio expectatur, malim rationibus pro *communi denario* afferri solitis subscribere. quas vid. dict. loc. & in *discursu* von dem jetzigen Reichs-Tag / *Part. I. lit. F. III. & Part. II. lit. V. itj. Oelhaf. Templ. pac. orat. ult.*

FINIS.

Ultima dissertatio de philosophia Celtica, vti hic vides, vultello infidi Scaligeri excisa Lipsiamque cum multis aliis similis argumenti libellis missa ad inferenda thesauro antiquitatum Germanicarum.

[Sonderdr. 9 fehlt]

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [198] - 20
PUBLIC DOMAIN

VLRICI OBRECHTI

PARÆNESIS.

DE

CONIVNGENDIS
PRIVATI ET PVBLICI JVRIS
STVDIIS.

duabus Orationibus

comprehensâ,

quarum

Prior habita est d. XVI. April.
Cum Doctor Juris renuntiaretur:
Altera d. XXIII. ejusd. mens.
Cum Professionem Institutionum Imperial. & Juris Publici auspicaretur.

cIↃ IↃc LXXXII.

)o(


ARGENTORATI,
Impensis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

Beigefügt 9

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [199] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [200] - -

PUBLIC DOMAIN

I.


DE

VSV JVRIS CIVILIS

IN

DECIDENDIS CONTROVERSIIS PVBLICIS.

Farbkarte #13
Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [201] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [202] - -

PUBLIC DOMAIN

QUanquam optandum foret, AUDITORES, ut pro opportunitate hujus cerimoniæ, compar temporis ſpatium, nobis permitteret, favoris pariter Veſtri prolixitatem & propoſiti argumenti amplitudinem dignâ oratione percolere: plurimùm tamen voti hujus ſolicitudinem vel coërcet, vel ſublevat, quod apud eos ſermo inſtituen-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [203] - 3
PUBLIC DOMAIN

dus eſt, quos nec imputare beneficia in alios collata, mentis altitudo; nec præſentis diſquiſitionis momenta ignorare, eruditionis profunditas patitur. quarum altera, facultatis meæ, altera doctrinæ deliquia, egregie, uti opto ſperoq́, ſupplebit.

Proprio autem lumine perſpicuum eſſe arbitror, publicas dici controverſias, quas inter ſe agitant populi liberi, quiq́ in populis liberis ſummum imperium obtinent. Publicæ ſunt, quia non ſuſcipere illas, niſi

niſi publico auſpicio; non perſequi, niſi publico conſilio; non expedire, niſi publico auctoramento fas eſt. Publicæ ſunt, quia illis ſuprema, in Republicâ, ipſiusq; adeo Reipublicæ publica poteſtas originem, publica jura fundamentum, publica ſalus menſuram formulamq; ſubminiſtrat. Publicæ ſunt, quia non de privatis civium patrimoniis, ſed de gentium nationumq; publico dominatu diſceptantur. Publicæ ſunt, quia non ob id inſtituuntur, ut appareat uter

has illaſve ædes uſu aut mancipio teneat: uter in hæc vel illa bona familiamve hæres ſuccedat: ad hunc an ad illum fundi alicujus fructus redundet: Sed ad quem populorum obſequia, provinciarum commoda, terrarum regionumq; proventus deferantur. Publicæ ſunt, quia non id ſpectant, ut ſubditorum pactionibus fides, ſed ut fœderibus & conventionibus Imperantium ſanctimonia conſtet: non ut agrorum fines, ſed ut regnorum termini regantur: non ut ſingu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [206] - 6
PUBLIC DOMAIN

ſingulis domi quies, ſed ut foris humani generis pax, tranquillitas, ſecuritas ſtabiliatur. Quin, ſi ultra progrediendum eſt, publicæ ſiunt hæ controverſiæ, quia ſe non clauſtris Prætorij tribunalis, non centumviralis haſtæ ambitu, non parietibus Curiarum, non Conſiſtoriorum cancellis circumſcribi ſinunt; Sed ſub totius Orbis judicio, & omnis, quæ unquam futura eſt, poſteritatis cenſura, terras exercitibus, maria claſſibus, regiones civitatesq; terrore pervagantur

gantur, & complent. In his igitur decidendis, ne juri Civili privato usus auctoritasve tribueretur, ipse illarum character, tam multis tamq; illustribus nominibus publicus videbatur obsistere. Quid enim? Tune illas lites legibus subjicies, quarum disceptatores suprema inter homines legum arbitria moderantur? Tune illis caussis juris formulam præscribes, quæ de juribus agitantur, è quibus omnis legislatio civilis authoritatem, omnia humana jura efficaciam

ciam & robur mutuantur? Cæſarum utique reſcripta, decreta Judicum, Conſulta Senatus, Populorum ſcita, reſponſa Prudentum inter inferiores ſubjectosque dominantur: At cum inter æquales contentio, & inter ſupremos rerum negotiorumq; arbitros bellum exortum eſt; quisq; ſibi Cæſar, quisq; ſibi judex, & in tuendo aſſerendoq; jure ſuo quisque ſibi ſatis Sapiens eſt. Non exiſtimo equidem vel de antiquæ barbariei ruditate, vel de novitiæ adulationis im-

pudentiâ tantum erroris hodie ſupereſſe, ut Juri Naturali ſuus in definiendis Regum ac Principum controverſiis locus incertus reddatur. Procedit enim illius auctoritas ab eo Legiſlatore, qui omnium Legiſlatorum Legiſlator, omnium Regum Princeps, omnium jurium moderator, omnis juſtitiæ fons, omnium contentionum judex, omnium bellorum ſupremus arbiter eſt. Ne illi quidem juri, quod tacito gentium conſenſu, & generali quadam conſuetudine vim legis

gis accepit, refragari palam ſolent, qui inter populos moratiores cenſeri volunt. Si quid vero præterea ſingularum civitatium, hujusve aut illius gentis arbitratu conſtitutum, uſui deſtinatum, rationibus ſalutive accommodatum eſt; ejus vinculis ſeſe ac dominatus ſuos ſolutos & liberos eſſe, non injuriâ Rectores Rerumpublicarum exiſtimare videntur. Magnâ potentiæ amplitudine floruit olim Populus Romanus, & imperio ſuo plerasque Orbis cultioris

partes complexus est. Sed sicut ipsè neq; liberarum, neque subactarum gentium leges admittebat, nisi quatenus sibi suæve reipublicæ conducere arbitrabatur: ita legibus suis nec apud illas authoritatem, nec perpetuitatem apud istas potuit tribuere. Effulserant incomparabilis sapientiæ atq; rectitudinis laude Orientis leges, indeq; omnis humani diviniq; juris lumen in Aegyptum, ex Aegypto verò non per Legislatores modò præstantissimos Lacedæmoniorum & Athe-

Athenienſium, ſed & per Philoſophos in Græciam proceſſerat: Romanorum tamen oculos non ultra perſtrinxit, quam ut ſanciendi juris ſpecimen ac formulam inde mutuarentur. Et quidni igitur fas ſit Europæis gentibus, in recipiendis reprobandisve eorum legibus, ſua illis exempla reddere? Etenim pleræque iſtarum, ſi Germanos excipias, Romanas ſecures veneratæ ſunt olim, & hodie apud omnes Romani juris vel reliquiæ vel veſtigia durant. Sed ex quo tam vaſti

Imperij moles procubuit, legislationis quoq; tot antea populos amplexæ vigor, in uniuscujusque Reipublicæ proprias leges ac Civilia jura resolutus est. quæ non ideo valent, quia omnibus quondam præscripta sunt; sed quia à singulis non sunt penitus rejecta atq; reprobata. Ut adeo alios ad æquabilem juris usum, & concordis vitæ communitatem vincire non possint, quàm qui uniius reipublicæ & communis imperij spiritu continentur. Quid dicemus igitur? An erroneæ per-

perverſæq; diſciplinæ reos agemus, quotquot Virorum doctiſſimorum, ad tractandas definiendasque publicas Regnorum controverſias, hoc præſertim & ſuperiori ſeculo ſunt admiſſi? Parum certe in eorum Commentariis verſatum ſe oſtenderit, ſi quis præcipuum in illis honorem neget Romanæ Jurisprudentiæ decretis, regulis, authoribus tribui. Quid illi? qui ipſam Jurisprudentiam univerſalem ac publicam in contextæ artis corpus redigere aggreſſi ſunt: num

num ullum paulo illuſtriorem locum pertractant, in quo non præcipuas partes Romanorum Jurisconſultorum teſtimoniis aſsignent? Niſi penitus fallor, aliud illi ſpectarunt, quàm quod vulgus ſentit: cui mos eſt, ex accumulatione nominum citationumque, pretium & authoritatem operum æſtimare. Nimirum, ubi ad diſcretionem ejus quod juſtum, quodque injuſtum eſt, robur legis, pondus ac momentum genuinæ definitionis requiritur; ibi aliam quàm naturalis

lis atque universalis rectitudinis normam frustra adhiberi, in confesso est: ejus vero, adeo expers non est jus Romanum; ut nullæ humanarum Legislationum tabulæ, nulla sapientum monumenta talis disciplinæ fœcundiora queant nominari. At ubi ad singulas factorum species, quæ non minus in publicis quam in privatis controversiis, varia circumstantiarum momenta & diversissimam momentorum inclinationem conformationemque recipiunt, generalia

ſapientiæ decreta accommodanda ſunt; ibi vero ſi non unicum, at præcipuum certe præſidium Romana Jurisprudentia ſuppeditat. Sive magnitudini atque diuturnitati Imperij adſcribendum eſt, quod in tot tamque variorum caſuum deciſionem illuſtrationemque, præclariſſimorum ingeniorum induſtria ſuffecit, ut omnia fere humanorum negotiorum penetralia intimosque receſſus pervaderet: Sive felicitati; quod nullius alterius populi ſcita uberiore

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [218] - 18
PUBLIC DOMAIN

riore copiâ deſcenderunt ad poſteritatem. Specimina meditationi Veſtræ ſubjiciam, Auditores, quibus perſonarum nomina, & uberiorem ſingulorum momentorum interpretationem adjicere facile poterunt, qui rerum propioribus ſeculis geſtarum memoriam tenent. Dotem Regiæ Virgini, certâ pecuniæ determinatione propinqui promiſerant, & in numerationis ſecuritatem oppigneraverant Sponſo ducatum, additâ inſuper lege, ut in vicem uſura-

rum fructus ejus proventusq; perciperet, poſſeſſionisque interim commodo & ducalis tituli honore frueretur. Soluto per mortem improlis mariti conjugio, & defunctis etiam illis, â quibus promiſſa conſtitutaque dos fuerat; vidua, oppignerati ducatus poſſeſſionem non pro ſe tantum retinere, ſed in cognatorum aliquem transcribere, ſibi contendit jus fasque eſſe. Contradicunt ij, ad quos cum cæteris provinciis hujus quoque ducatus ſucceſſio lege ſpectabat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [220] - 20
PUBLIC DOMAIN

bat. Alibi pater impuberi filio & principatus ſucceſſivi quidem, ſed extra commercium patrimoniumque poſiti, hæredi, tutorem ultimis tabulis nominavit, isque defuncto teſtatore, ad munus ſibi adſignatum aſpirat. intercedunt propiores agnati; eumque qui ſucceſſionis ordinem immutare, & de principatu ipſo diſponere teſtamento ſuo nequiverit, efficere potuiſſe negant, ut ad alios Principis tutela & provinciarum regimen perveniret, quam ad

quos utriusque pericula pertinent. Est, ubi quæsitam reciproco successionis pacto Regiam hæreditatem, Status sive Proceres Regni, ut ipsi ajunt, electivi, impugnent: Ubi abdicatam sub conditione recipiendæ dotis paternam successionem, dote ad conditum diem non solutâ, Regia Conjux vindicet: Ubi alienatarum provinciarum accessiones: Ubi præstationes contractuum; Ubi pactionum formulæ, instrumentorum auctoritates, conditionum

num interpretationes, vario controverſiarum genere agitentur: Poterit ne ſperari, ut, non dicam plene decidat, ſed utcunque ſubortas difficultates expediat, niſi qui horum negotiorum, non vocabula ſaltem (quanquam nec hæc quidem alibi, quam in Jureconſultorum Scholis diſcuntur;) ſed totam indolem, habitum univerſum, omnes reconditiores ſinus, omnes intricatiores anfractus, illis doctoribus ducibusque perſcrutatus fuerit, qui

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [223] - 23
PUBLIC DOMAIN

qui in hac ſcientiâ, ſingularis & vere practicæ eruditionis gloriâ, ſi non ſoli, tamen regnant. Itaque, ſi commonendi ſint populorum Rectores, ut potentiæ, utilitatis, gloriæ amplitudinem, juſtitiæ atque honeſtati velint poſthabere: Si edocendi, quâ ſinceritate in fœderibus, quâ fide in pactionibus, quâ religione in juramentis, quâ integritate ac ſanctimonia in omni publici actus tractatu debeant verſari: multa undecunque lumina

mina è Theologorum, Philoſophorum, Oratorum, Hiſtoricorum, Poëtarum denique monumentis affulgebunt, quæ Jurisprudentiæ univerſalis principia & ſolidiora fundamenta in abdito latere, minime patientur. Ea vero ad peculiares negotiorum factorumque ſpecies ac momenta dextre applicare, & ad ſerios illuſtresque vitæ publicæ uſus transferre, Romani præcipue Juris ſcientia docet.

D II. DE

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 51, [226] - -

PUBLIC DOMAIN

II.

DE CONNEXIONE JVRIS PRIVATI ET PVBLICI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [227] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [228] - -

PUBLIC DOMAIN

A. O.

NOnus iſte jam annus volvitur, quòd authoritate inclyti Senatus mihi collatum Hiſtoriæ docendæ munus, ex hac cathedrâ, ſolenni oratione ſum auſpicatus. Multiplices, quæ me tum circumdederant, curas, cùm diſſimulare animi ſive ingenuitas, ſive infirmitas non ſineret, DEO vocationis meæ Authori piis ſuſpiriis commendavi: Illi publice, Vobis

audientibus ac faventibus, vota nuncupavi: Illi memorem gratamque in æternum mentem obstrinxi: si me impares imposito oneri humeros subijcientem, Divinæ gratiæ levamine ad explenda injunctæ functionis munia roborasset. Exauditus propitij Numinis benignitate, & per omne, quod in illâ statione transegi vitæ spatium, cælestis auxilij luculentissime compos; postquam vacuum in Collegio Juridico locum, ingredi suffragiis Amplissimi Ordinis Acade-

Academici jussus sum; unde potius novæ Professionis, hujusq; adeo inauguralis alloquij exordia ducam, quam ab instauratione illius exempli, cujus tam efficacem tamque fructuosam pietatem persensi? Quidni enim votorum, quæ me iterum hoc tempore, hoc loco nuncupare admirabilis divinæ Providentiæ dispositio jubet, inde fiduciam repetam, unde illorum, quæ olim nuncupaveram felix complementum processit? Quidni occupationum & curarum nova-

novarum ſolicitudinem, recordatione præteritorum ſucceſſuum fulciam? & tuorum, ô Benigniſſime DEus! beneficiorum memoriam atq; depræ-dicationem, cum futuræ proſperitatis fauſtis ominibus & ſecundo augurio conjungam? Tu in ſubeundis & tractandis civilis vitæ officiis, fata mea ſapienter moderatus es; & moderaberis: Tu propoſita conſiliaq; mea rexiſti; & diriges: Tu actionibus meis benedixiſti; & benedices: Tu fortunam meam ornaſti; & orna-

ornabis : Tu authoritatem consilij publici, qua pridem ad Professorium ordinem evectus sum, contra viriium mearum imbecillitatem sustentasti ; Tu itaq; illi, & in hac ad quam me transire jubes, provinciâ, præsidium statues. Tu Reipublicæ usibus studia mea, Tu Patronorum favori conatus meos, tu Juventutis profectibus labores meos conciliasti ; & imposterum ad alios fines ususq; exerrare non sines : Tu mihi concordes Collegas, Tu benevolos Ami-

cos, Tu gratos Discipulos dedisti, & conservabis!

Neq; aliâ re, quam isthoc gratæ piæq; recordationis ac bonæ spei consortio Vestri quoque patrocinij constantiam mihi pignerare fas fuerit, Prudentissimi Reipublicæ atque Academiæ Patres. Requiescit in Illustris Collegij Vestri auctoritate, quicquid muneri meo vel olim dignitatis tributum est, vel deinceps ornamentorum accessit: inde præcipuum laboribus meis decus, inde honoribus lumen, inde

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [234] - 34
PUBLIC DOMAIN

inde doctrinæ præsidium dispensatur. Sed cùm mihi Vestram erga studia mea propensionem, tot egregiis documentis testatam esse volueritis, non â Vobis flagitare, ut, quod proprio virtutis comitatisq; Vestræ impulsu facitis, tam benevolam mentem; sed â DEO contendere debeo, ut tam benevolos Patronos mihi conservet!

Et quid porro magnopere sollicitus sim, quo potissimum pignore, in Vestro, Amplissimi Professores, Ordine, illi

collegio cui nuperrime arctioris consortij vinculo aggregatus sum, animi atq; affectus mei sinceritatem declarem? cujus tam certa testimonia in eo extant, quod relinquo. Percepi è Vestrâ, celeberrimi Philosophi, consuetudine fructus, quos cunq; vel communis Collegij sanctitas polliceri, vel interioris amicitiæ suavitas producere potest: Hujusq; convictus ac concordiæ semper in memoriâ meâ imaginem; semper in animo meo, erga defunctos pariter ac superstites

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [236] - 36
PUBLIC DOMAIN

tes gratiam conſervabo; diſciplinam vero ad commune Vobiſcum, Conſultiſſimi Juris Anteceſſores, juſtitiæ Sacerdotium transferam. ut reipsâ intelligatis; me non operam magis meam atque ſtudia, quam animum, voluntatem, obſervantiam vobis adjungere deſtinaſſe. Eveniant & Veſtrûm cuiq́, & omnibus qui Univerſitatis noſtræ commodis vel ſtrenue operantur, vel bene cupiunt, quæcunque publice decóra, privatim ſalutaria, ex cujusq́ voto, piis amicisque

cisque cogitationibus concipi possunt ac impetrari.

Uberiori adfamine Vos mihi demerendi estis, Commilitones Nobilissimi, in quorum maxime gratiam iste congressus indictus est. Inprimis vero Vos obnixe obtestatos cupio, ne hac functionis meæ atque studiorum commutatione, quicquam de meo erga vos ardentissimo affectu, immutatum vel deminutum suspicemini. Ut labores mei, Vestris laboribus pro subsidio; ut vigiliæ meæ, vestræ diligentiæ

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [238] - 38
PUBLIC DOMAIN

gentiæ pro incitamento; ut consilia mea Vestris conatibus atque industriæ pro levamine inservirent, consiliorum meorum & hactenus summa ratio fuit, & laborum meorum unica deinceps meta erit: ut, quæ ex tenore cordatioris disciplinæ discitis agitisque vobis privatim salubria, patriæ læta publice atque proficua essent, in eo unicum doctrinæ meæ fructum & habui & habebo semper constitutum. Famâ

adeo lætor, ex sermonis hujus necessitudine, occasionem mihi

mihi esse subnatam, hunc quem gero animum, certo Vobis pignore devinciendi. Quanquam autem jam in ipso Senatus Academici decreto satis vos momenti authoritatisq; reperturos confidam, ut nec temerè, nec nisi ex commodo Vestro factum possitis existimare, quòd pro Historiarum & Eloquentiæ *studiis, ad tradendam vobis* Publici & Privati Juris *scientiam auctoratus sum; Si quis tamen extet, qui me vel tædio laboris, vel propositi quâdam inconstantiâ*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [240] - 40
PUBLIC DOMAIN

tiâ, putet ad aliud disciplinæ genus transgressum esse, illi indulgendum non est, ut in isto errore diutius obhærescat. Non est equidem unius POETAE VENUSINI admirationi expositum, quî fiat,

— quod nemo quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illâ
Contentus vivat.

&, si quis humanæ indolis levitatem attentiori oculo rimetur; deprehendet, inter sublimioris etiam conditionis homines, hanc fabulam ludi,

ut, quod ſequitur apud eundem:

Optet ephippia bos piger, optet arare caballus.

Sed meum certè inſtitutum nemo tam ſegnis faſtidij infamiâ notandum cenſebit, niſi qui & earum diſciplinarum quas hactenus docui, & illius quam deinceps traditurus ſum ſcientiæ genium, indolemque penitus ignorat. Nam cùm omnibus ultro pateat, quantum mihi novæ operæ ac laboris cum injuncti muneris dignatione acceſſerit: tum vero diffiteri nemo facile

cile potest, eam hodie Jurisprudentiæ, præsertim publicæ, conditionem esse, ut qui ad illam ab Oratoriæ facultatis atque Historiarum cultu processerit, ei nihil admodum liceat de prioris studij assiduitate remittere. Atq; de Privato Jure jam olim Publium Scævolam *accepimus persæpe fratri dicere solitum, nunquam eum satis illi arti facturum, nisi dicendi copiam assumsisset. Quod autem hodie vel in omni antiquitate intactum, vel in cunctorum aũalium memoria*

inelaboratum relinqui posse arbitrabitur, qui sibi meminerit Publici quoq; Juris doctrinam, sive ex necessitudine muneris, sive ob disciplinæ contextum, seriis ac severis præsentium temporum usibus attemperandam. Maxime postquam & privatarum atque vulgarium caussarum disceptatio, cum ipso fori regno ab Oratoribus ad Jurisconsultos migravit, & in publicarum controversiarum tractatu primas ac interdum omnes Jurisprudentiæ partes assignari obti-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [244] - 44
PUBLIC DOMAIN

obtinuit. Nihil ſane ad hodiernam Legalis ſcientiæ celebritatem attinet, quod ſuo ævo CICERO ſcribit, juris civilis ſtudium ignavis oratoribus pro refugio, timidis pro diverticulo fuiſſe: ad quod tum demum ſe conferre conſueverint, cum de dicendi facultate adipiſcenda deſperaſſent. Prorſus ut in Græcis artificibus ii aulœdi fierent, qui citharœdi eſſe non poſſent. *Quin, ne tum quidem ex vero iſta inter Juris & Eloquentiæ ſtudium comparatio inſtituta eſt: Et*

quæ per figuram deprimendæ Juris Civilis dignitati atque utilitati magnâ ſpecie impenduntur, cauſſæ potius tuendæ, quam explicando rerum pretio ſervire apparet. Quantulam enim ſcientiæ partem conſtituebat in Servio Sulpitio *illud artificium, ob cujus exilitatem* Lucio Murænæ *tantopere illum poſthabendum TULLIUS contendit? quod nimirum in literis atque interpunctionibus formularum, in ſyllabarum notarumque aucupatione, in conceptione ac ſubtilitate*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [246] - 46
PUBLIC DOMAIN

tate actionum occupabatur. Nonne cogitandum erat, de illo viro ſermonem inſtitui, cujus, præter vulgarem fori Romani atq; rerum eo pertinentium peritiam, admirabilis quædam & incredibilis, & pene divina erat in legibus interpretandis, æquitate explicandâ, ſcientia? cum quo omnes ex omni ætate, qui in Romanâ civitate intelligentiam juris habuerunt, ſi in unum locum conferrentur, comparandi tamen non eſſent: qui non magis Juris-Conſultus quam juſti-

juſtitiæ fuiſſet; neque conſti-
tuere litium actiones magis
calluiſſet, quàm controverſias
tollere. Hujusne ſcientiam
tenuem, hujusne inanem pru-
dentiam dicemus nusquam
extra forum Romanum, neq;
Romæ rebus prolatis quic-
quam valuiſſe? Huncne im-
pleviſſe munus aut nomen
Jureconſulti arbitrabimur,
poſtquam dies ſolennis actio-
nis clienti ſuo denuntiaverit;
Oratorem, cautionis; judi-
cem ſententiæ formulis in-
ſtruxerit? Conſtabat equidem
per-

perquàmmultis fictis atque commentitiis rebus, illa judiciarij processus ex tenore vetustarum legum instruendi formandique notitia. Verùm in eâ ignobilior atque minima, licet necessaria Juris Civilis portio reposita erat. quod utique etiam quâ Privatum erat, longe tamen latius quàm forensium actionum formulæ patebat. Maxime vero jam inde â primis legislationis Romanæ incunabulis, loco atque æstimio illustri Jus Publicum illi accesserat. Multa primi

Reges ad ordinandum Regni ſtatum, rerumque ſacrarum atque profanarum adminiſtrationem conſtituerant; atque inter eos Servius ipſam quoque Regiæ poteſtatis formulam jure deſcripſerat: auctor quippe legum, quibus & Reges obtemperarent. Subinde vero mutato Regiminis habitu, omnis eò Senatus Populique diligentia converſa eſt, ut authoritas Patrum, Civium libertas, Populi ac Plebis jura, dignitas & diſcrimina Ordinum, maje-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [250] - 50
PUBLIC DOMAIN

majestas denique Reipublicæ, præscriptis accuratissime legibus sanciretur. Ipsæ Duodecim Tabulæ quàm nobile juris publici monumentum complectebantur? quàm infinita præterea de Judiciis, quàm præclara de magistratibus, quàm gravia de ipsa legum ferendarum ratione, de indicendorum habendorumque comitiorum modo, de sanciendis fœderibus, de suscipiendis finiendisq; bellis, de omni vectigalium ac proventuum publicorum jure fuerant promulgata? quorum

omnium profecto ſanctiones memoriâ comprehendere, ſententiam atque interpretationem intellectu eruere, fontes atque rationes judicio complecti, id demum erat ſplendidum illud atque magnificum veri Jureconſulti elogium mereri. Crevit cum magnitudine Imperij hujus quoq; ſcientiæ amplitudo, & quò latius fœderibus vel dominatu potentiam ſuam porrigebat Populus Romanus, eò etiam auguſtiores nobiliſſimæ cognitionis limites efficiebantur: eâ præ-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [252] - 52
PUBLIC DOMAIN

præcipue parte quâ in fœderibus, pactionibus, conditionibus Populorum, Regum, exterarum nationum, in universo denique belli ac pacis jure consistebat. Nam quâ Rei Romanæ statum spectabat, exortâ subinde Cæsarum Monarchiâ in perbreve sane compendium contracta, Regiisque fere & Majestatis Legibus coarctata est. Et tum tamen magna gloria erat, Juris Divini *atque Humani, Privati & Publici peritia censeri; quibus veluti solennibus elogiis*

TACITO, Attejus Capito & Coccejus Nerva, *PLINIO Juniori*, Titus Ariſto, *aliis alij celebrantur. Poſtquam imperij moles in partes & tot pene regna diſſiliit, quot antea provinciis conſtabat: Jus etiam Publicum in prolixiorem variumque magis habitum conformari neceſſe fuit. Longum eſſet, & à loci hujus atque temporis inſtituto alienum, exponere, per quàm multiplices vices, per quàm inſignes mutationes caſusque in præſentem publi-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [254] - 54
PUBLIC DOMAIN

publici ſtatus faciem, diſtractæ compoſitæque ſint provinciæ, quæ vel olim Romani Imperij finibus atque ditione comprehenſæ, vel poſtea ſucceſſione & reliquiis æſtimatæ ſunt: Id tamen in confeſſo eſſe arbitror, totidem hodie Jurisprudentiæ Publicæ partes eſſe, quot diſtinctas Civitates atque Regna orbis terrarum complectitur. Neque inde turbatum iri quenquam confido, quod acceptam â Veteribus illis Jureconſultis, atque ad eam,

eam, quam dixi Romanæ Reipublicæ eminentiam amplitudinemq; accommodatam Juris Publici descriptionem, solius Romanæ rei statu *terminare, plerisque hujus argumenti Scriptoribus usitatum est. Quin apud omnes rerum civilium cognitione vel usu imbutos existimo expeditum esse; cùm nulla hodie gens, civilis regiminis adeoque publici status expers plane degat; subsistere autem vel regimen vel status regiminis publicus nequeat, nisi propriis cuique civi-*

civitati legibus institutis moribus, sit fundatus: proinde non id solum Juris Publici æstimium mereri, quod Romanam aut Germanicam, sed quod ullam cujuscunque populi rem, atque rei statum contingit. Ne barbaras quidem nationes exceptas velim; in quibus licet pleraque privatæ vitæ consuetudo minus culta, publica tamen civilis regiminis formula sæpe minime barbara est. Inprimis tamen illæ leges, quæ cultioris in

Europa orbis imperia continent, nobile iſtud & ad noſtræ diſquiſitionis inſtitutum præcipue pertinens Jurisprudentiæ Publicæ corpus conficiunt. quod non unius quidem voluminis, communis tamen diſciplinæ contextu cohæret: &, licet ſanctionibus rationibusque maxime diſcrepet, unus tamen connectitur vinculo doctrinæ: cujus expoſitio cum Jureconſultis propria ſit, dignitas quoque non debebit ad aliarum artium diſciplinas referri. Conſiſtere Jus Publicum

dixit

dixit ULPIANUS in ſacris, in ſacerdotibus, in magiſtratibus. *Si quid video, particulas quasdam Juris Publici, ſpeciminis cauſſâ, nominare voluit; non argumentum definitione pleniore complecti. Brevitatem tamen ſectantibus, non inhabile philoſophandi compendium commonſtravit. Itaque ut de ſacris quædam attingam; habent ſane Divina Oracula ſuos interpretes: neque Fidei dogmata aut Religioſi cultus decreta è Juris-prudentiæ ſuæ diſciplinâ,*

principiis, formulâ profiteri vel asserere Jureconsultus volet: Idem tamen non verebitur ut alienæ messi judicetur falcem immittere, si jura Ecclesiarum, si dignitatem Sacerdotiorum, si sacrarum ceremoniarum ritum, quatenus humanis legibus formatus est, describat vel illustret. Amplæ nostrâ isthac tempestate atque præstabilis scientiæ argumentum! si quis per Europam circumferat oculos, perquirat leges, expendat pactiones, jura sanctio-

ctionesq; rimetur, quibus aliquarum Eccleſiarum Libertas, aliquarum ſervitium præmunitur: quibus alibi Sacerdotium Imperio, alibi Imperium ſacerdotio jugum minatur, vel imponit: alibi utrumq; genuinâ inter ſe & ſalubri concordiâ conſpirant. Hîc æternis præſtantiſſimorum ingeniorum monumentis, Eccleſiæ Gallicanæ Libertates, *alibi* Sacri Romani Imperii Monarchia *vaſtis & laborioſis voluminibus aſſerta, cordatioris doctrinæ profeſſione, faſtidia longæ &in-*

veteratæ dominationis ulciſcitur. eſt, ubi cum conſcientiarum libertate, labefactata gravibus atq; diuturnis motibus Reipublicæ tranquillitas, Pacis *alicujus* Paſſavienſis, *& ſubinde* Auguſtanæ, *ac denique* Weſtphalicæ *tabulis conſtituitur, vindicatur, exponitur. Huc accedant immenſa Publicorum Actorum volumina, ut ex innumeris contentionum memoriis, ex infinitis Curiarum ac Tribunalium decretis pateſcat, per quam intricatos caſus, per quam diverſas viciſſitu-*

ſitudines, per quam periculoſos eventus, per quam dubia fata, ad eum, in quo nunc eſt, ſtatum, religionis in Europâ diſpoſitio ſit deducta. Latius magiſtratuum denominatio porrigitur, & ad Jureconſulti curam propius pertinet. Neq; abſonè judicarunt Interpretes, qui ſub iſthoc vocabulo cenſuerunt ULPIANUM omnia Reipublicæ pace belloque adminiſtrandæ munia complecti decreviſſe. Jure igitur Publico docebitur, quibus per Europæas provincias

Legi-

Legibus ſuprema imperantium majeſtas circumſcribatur: quibus libertas populorum juribus Privilegiisq; muniatur: quo more quâve conſuetudine iſthîc regnantium ſucceſſio, alibi electio ſtabiliatur: quibus limitibus provinciarum fines diſterminentur, quibus titulis officiorum dignitates ſecernantur, quibus momentis principatuum controverſiæ definiantur. Non abnuerim equidem, ampliſſimâ exemplorum copiâ Annales cujusque gentis, converſas

Rerum-

Rer
tinc
orta
tura
liber
tatos
recu
exhi
cæ
quu
rum
que
actu
eruc
Sed
quor

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [264] - 64
PUBLIC DOMAIN

Rerumpublicarum formas, extinctas pridem vel recens ſubortas familias, Principes naturali ſuccedendi ordine vel libero eligentium arbitrio mutatos, bella vindicando vel recuperando Regno ſumpta exhibere: & ſi Pragmaticæ Hiſtoriæ laudem aſſequuntur, additis quoq; factorum rationibus, conſiliorumque cauſis, per omnia publici actus momenta & ſpecimina eruditum lectorem inſtruere. Sed & Civilis Prudentia quomodo ad paratum ele-

gantioris eruditionis ex abditis circumstantiarum negotiorumque penetralibus erui & ad ad salutis utilitatisque publicæ vigorem sive conservandum sive instaurandum adhiberi debeant, viam rationemque commonstrabit. Tota interim juris disceptatio legitimæ Scientiæ propria manet. nisi quod ad illos interdum transfertur, qui Jureconsultorum si non munus aut nomen, sapientiam tamen atque disciplinam profitentur. Atq; hîc iterum mihi quispiam Euro-

Europæa regna cogitatione percenſeat. Oſtentabit in extremo occidentis ſolis limite avulſam Hiſpanicis Dominatibus Luſitaniam, recentior hujus ſeculi Hiſtoria; quemadmodum vero iisdem adjuncta olim fuerit, ævi ſuperioris monumenta, CONESTAGGII præſertim atq; THUANI vigiliis immortalibus concinnata, docebunt. Diſcetur è Regnatricis Prudentiæ dictatis, multa & cum connecteretur Hiſpaniæ, & priusquam avelleretur, cir-

cumſpectius, multa prudentius, multa fortius geri atque adminiſtrari potuiſſe, quam geſta ſunt & adminiſtrata: Sed cum judicandum erit, utrum meliori jure olim Philippus Caſtellanis id Regnum pepererit, an Joannes nuper recuperaverit Bragantinis? ab illis Doctoribus judicandi præſidia repetenda erunt, in quorum Scholis ſucceſſionum agnationumque jura, prærogativæ graduum, diſcrimina ſexuum, ſanguinis & repræſen-

ſentationis uſus & efficacia traduntur. Ab alio latere Belgicarum Provinciarum alias in libertatem vindicatas, alias Francico Regno additas, reliquas ſub Hiſpanico imperio nutantes aſpicies: quove potiſſimum modo Burgundicæ Auſtriacæque Domui quæſitum in iis ac poſtea labefactatum regimen fuerit, HARAEO aliquo, HEUTERO, STRADA, METERANO, GROTIO indicibus percipies. quæque propiori-

bus annis gesta sunt, haud ita difficili negotio è recentiori rerum adjicies memoriâ. Sed quàmmulta & cum acquirerentur, & cum amitterentur disputata sunt, quæ nec expedire nisi Jurisprudentiæ ope nec intelligere ullatenus pronum est. Vel sola de quibus novissime disceptatum est, devolutionum, renuntiationum, dotium jura explicare utique frustra conabitur, nisi qui cum jure privato ac communi, publicas & fundamentales illarum regionum leges noverit com-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [270] - 70
PUBLIC DOMAIN

comparare. Luxemburgenſis inter eas provincias Ducatus, quâ primum viâ à propriis Principibus ad Burgundos, atque ab his deinceps ad Auſtriacos Hiſpanosque migraverit; proclive equidem erit, BERTELII, VIGNIERII, BROWERI aliorumque diligentiâ literis conſignatum cognoſcere. Sed cùm totam rei uti geſta eſt ſeriem percenſebis, cum dotales Antonij Brabantiæ Ducis cum Eliſabethâ Gorlitiâ tabulas, atque in his oppigneratum à

Wen.

Wenceslao & Jodoco Luxemburgensibus Principibus in promissæ dotis securitatem, Ducatum, cernes; cùm ad Guilelmi Saxoniæ Ducis atque Casimiri Poloniæ regis successorum in Ducatu Luxemburgico legitimorum prætensiones pervenies; cum cessionem & jura ab Elisabetha in Philippum Burgundum, à Guilelmo in Carolum Francorum Regem collata deprehendes, cum prolixas subtilesque de eâ re CHIFLETII & BLONDELLI concertatio-

tationes inſpicies: nonne cæcutire paſſim & obhæreſcere neceſſe erit, niſi univerſum de dotibus, de oppignerationibus, de ceſſionibus, de alienationibus, de pactis denique ac conventis, locum non ut inter privatos modo inſtruitur, ſed ut inter Principes Regesque viget, conjunctis Publici ac Privati Juris luminibus percolueris. Qui Germanicæ Hiſtoriæ uſu atque notitiâ pollent, il-

lis conceſſerim minime fore arduum, vel enumerare tempora, vel temporum momenta comparare, quibus Imperatorum poteſtas adſtringi, Ordinum libertas laxari, utrorumque jura communis imperij nexu adductiore vel ſolutiore contineri, præſentis denique ſtatus vel duci lineamenta cœperint, vel plena conformatio acciderit. Iidem recenſere ac deſcribere provincias, referre familia-

rum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [274] - 74
PUBLIC DOMAIN

rum ſucceſſiones, membrorum atque univerſi corporis utilitates librare, pacis bellique negotia expendere domeſticis præſidiis poterunt. Sed innumera illis in Legum fundamentalium diſpoſitione, in uſu judiciorum, in tractatu cauſarum, in omni actuum publicorum varietate occurrent, quibus nullum aliunde quàm à Privati Publicique Juris conſortio lumen vel ſperari vel affulge-

re potest. Quæ omnia non eo certe animo à me relata sunt, aut accipi à Vobis debent, Commilitones, ut, Jurisprudentiæ, cui operam navatis vel navaturi estis, amplitudine sublimitateve, ab ejusdem tractatione deterreamini: Sed ut nobilitate ejus fructuque perspecto, genuinam inde serij solidique profectus regulam, ad usum atque incrementum decori publici transferatis. Quid ni enim

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [276] - 76
PUBLIC DOMAIN

enim reputetis vobiſcum, quando elementa Legitimæ Scientiæ perdiſcitis, Vos ædificij longe auguſtiſſimi fundamenta jacere: quod cum ſtrenuo labore aliquando perfeceritis, non ad vilium liticularum dijudicationem, ſed ad cauſarum ex omnis ævi, omnium gentium memoriis graviſſimarum maximarumque arbitria vos evehet. Poſtquam enim à principibus Civilis Sapientiæ, non ad diſpo-

ſitionem tantum atque ordinem commodiorem, ſed plane inter fundamenta ſolidioris doctrinæ prodita eſt regula, eosdem publicarum inter Reges diſceptationum fontes eſſe, quibus ex tenore Romanæ Legislationis privatorum controverſiæ in judicium deducuntur; nemini obſcurum eſſe poteſt, cùm perſonarum diſcrimina ſtatusque, rerum atque acquiſitionum varia jura, pactionum

&

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [278] - 78
PUBLIC DOMAIN

& contractuum formulæ addiſcuntur, non ſingularis ſaltem & privatæ, ſed Univerſalis quoque & Publicæ Jurisprudentiæ præſidia præſtrui. Quæ magnâ & irrefragabili ratione ad Romani juris principia partesque revocanda eſſe prudentes decreverunt. Eo enim potiſſimum jure, *ut ait* TULLIUS, de omnibus fere rebus actionum petitionumque formulæ conſtitutæ ſunt; ne

ne quis aut in genere injuriæ aut in ratione perſecutionis errare poſſet. Expreſſæ ſunt enim ex uniuscujusque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria. *atque ad eas tanto juſtitiæ æquitatisque cultu privata lis accommodata eſt, ut ſimul in publicis diſceptationibus pronum apertumque ad ſinceri judicij ſententiæq́ rectitudinem iter oſtendant. Quare in illis percolendis ſummum Vos adhibere*

re

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [280] - 80
PUBLIC DOMAIN

re ſtudium atque ſedulitatem par eſt, ſi in hiſce aliquando cum laude ac operæ Veſtræ pretio verſari deſideratis. Ego me Vobis tam proficui laboris ſive ſocium ſive ducem eâ lege fore profiteor, ut Vos impoſterum potius exemplo; quàm nunc hortatu, aut ſermone ſim incitaturus. DEUS hoc noſtrarum occupationum exordium ita Sibi, Regi, Patriæ gratum & acceptum, Vobis

mihique faustum esse velit; ut per successus publice privatimque prosperos ac salutares, in felicem quandoque desinat exitum, & ad venturas etiam ætates copiosis fructibus redundet.

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA


FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 51, [282] - 82
PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [283] - -

PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover
036 859 230
35

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [284] - -

PUBLIC DOMAIN


Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover
Am Archive 1

VIII A. 783 b
4°
(1-9.)

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [285] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [286] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 51, [287] - -
PUBLIC DOMAIN